

assignasset, vociferans dixit illi: « At non ego te, o Cæsar, periclitante Actiaco bello, vicarium quæsivi, sed pro te ipse pugnavi, simulque aperta veste cicatrices ostendit: « quibus visis erubuit Cæsar, et in advotionem ipse descendit. Quanto magis vulnera Christi ab homine, pro quo accepta sunt, conspecta, quidvis ab eo impetrabant? SUTTON., in Aug.

Christus S. Mariæ Magdalene de Pazzis dixit: Dico tibi, si qualibet feria sexta attendas horæ, qua expiravi in Cruce, continuo recipies particulares gratias a Spiritu, quem reddidi Patri æterno; et quamvis illas non senties, nihilominus semper requiescet in te. Vita, p. III, § 1.

Qui diligenter et pie in humanitatis Dominicæ Mysteriis contemplandis versantur, idem Divinitatis quoque ejus deliciis mire pascentur. Via enim et veluti scala ad Divinitatis gloriam contemplandam humanitas Christi est, ipso dicente: Ego sum via, veritas, et vita. Hoc autem innuere sponsa in Canticis videtur, cum ait: Lava ejus sub capite meo, et dextra illius amplexabitur me. Lava enim humanitatis, dextera Divinitatis Christi est. Eum enim, qui in humanitatis lava capite superposito requiescit (dum omnia sacre humanitatis mysteria pia cogitatione revolvit), illum divinitatis dextera molli sinu fovet, et amplectitur, et celestibus deliciis pascit. LUDOVIC., *Gran. in loc. com.*, § 58.

Nyssenus illud: Vidimus eum, et non erat aspectus, et desideravimus eum despectum, et novissimum virorum, ait ex Hebræo verti *cessatio virorum*: quia sicut duellantes servi cessant litigare conspecto Rege, sic homines cessabant irasci, vindicare, conspecto Christo. NYSSEN., *Dom.*, ex. § 4.

Christus, dum adhuc viveret, suavibus verbis invitavit ad se homines dicens: Si quis vult venire post me, etc., at de se morituro dicit: Et ego si a terra exaltatus fuero, omnia traham ad me ipsum; innuens mortem sola consideratione sufficere ad movendum. *Id.*, *Dom. Quingua.*, § 4.

Sol eclipsis patiens, omnia decolorat. Sic verus Sol Christus, qui cognovit occasum suum, eclipsin mortis in cruce patiens, omnes colores, omnes vanitates, omnes glorias fallaces, omnes honores debet decolorare. Ideo dicit anima poenitentis: Nigra sum, sed formosa, quia decoloravit me sol, dum enim oculo fidei Deum meum, Sponsum meum

Jesum Christum in cruce pendentem, clavis confixum, felle et aceto potatum, corona spinea coronatum video, omnis decor, omnis gloria, omnis honor, omnis potentia transitoria in pallorem vertitur, et a me nihili aestimatur. *IBID.* S. ANTON. DE PAD., *Dom. 3 Quadr.*

IMITATIO. — Sicut duces erecto vexillo trahunt post se milites; ita sponsus sponsam immensa sua charitate in cruce potissimum ostensa trahit; cæteris namque beneficiis ad sui amorem invitavit, at mortis beneficio compulit. GRAN., *loc. com.*, f. 58.

Cum D. Petrum Martyrem tres e celo lapsæ virgines visitasset, et ille ideo accusatus ac ad Esinum Cœnobium relegatus, Christo crucifixo suam injuriam quereretur, Christus eidem de cruce respondit: Et ego quid feci, ut tot ac tantis onerarer opprobriis, et morte turpissima condemnarer? Ex me disce ignominias et opprobria patienter ferre. *RIBAD.*, 29 ap.

Christus quondam S. Gertrudi dixit: Qui circa meam afficiuntur imaginem, et passionis meæ exempla non sequuntur per imitationem, hos respicio, sicut juvenula a matre sua posset acceptare, quod eam diversimode vestibus ornaret, secundum placentiam suam et honorem; nec tamen hoc, quod filia maxime desideraret, perficeret, imo etiam quandoque durius negaret. S. GERTRUD., in *fin.*, c. XLII.

Virgines Annunciatæ, dum novitiam suscipiunt, Priorissa, quæ apud eas Mater Ancilla nominatur, ei cum filiabus occurrentes genuflexæ gradem crucem floribus ornata, brachiis amplexandam offert, et offerendo canit: Veni, soror nostra, ascendamus in palmam Christi, et apprehendamus fructus ejus. MARGANT., *lect. xx*, prop. 2.

MEDITATIO. — Rosendus Episcopus pro in signi speculum cum circino habebat cruci appensum, significare volens sæpius nobis Christi passionem velut speculum contemplandam, et juxta illam omnes actiones nostras ordinandas, et velut circino mensurandas. *Amor. crucifix.*

Christus S. Birgittæ quondam dixit: Consulo tibi, cogitare duo continuo in corde tuo. Primo, quæ feci pro te, patiendo et moriendo pro te; hæc cogitatio excitat charitatem ad Deum. Secundo considera justitiam meam, et futurum judicium; hæc inexcit timorem in animo. L. II, *Revel.*, c. XIX.

COMPASSIO. — Christus B. Veronicæ vir-

gini Augustinæ dixit: Opto omnes homines satagere, ut corde affligantur ob passionis meæ venerationem velut mihi compatiens. Quod si vel sola lacrymula egerint, magnum aliquid se egisse arbitrentur; nulla etenim lingua mortalium exploratum efficere potest, quantum jucunditatis mihi, et quantum commodi illi afferat illa lacrymula. Vita, l. VI, c. IX.

B. Joannæ ab Angelis revelatum est, divinam Majestatem cum tanto affectu amoris accipere planctum ob passionem, et illum adeo gratum esse sacrificium, ac si spargeretur sanguis, et afflictiones magnæ pro eo tolerarentur. Vita., c. XIV.

B. Angela de Fulgino inter alias benedictiones, quas Christus pronuntiavit super devotos suæ Passionis, etiam hanc audivit: Benedicti vos a Patre meo et Spiritu S., et vere benedicti benedictione, quam dabo in extremo judicio, quia me in propria mea venientem, sicut mei persecutores, non repulistis, sed me desolatum in cordis mei hospicio per compassionem hospitem recipere voluistis. Qui mihi in cruce nudo insistenti, sitiienti, famescenti, infirmo, clavis affixo, et morienti compati, et consocii mei esse voluistis, in hoc vere misericordiae opera complevestis. Vita., c. VI, n. 102.

S. Birgitta in suis Revelationibus testatur, tempore passionis omnes, qui in orbe erant, homines interno dolore, ac pavore tactos fuisse, tametsi nescirent, unde is proveniret. FAB., conc. VII, in *Dom. Pass.*

In Ezechiele jubentur omnes occidi, qui signum T. in frontibus expressum non habebant, qui docuit Propheta, eos omnes perire, qui in cordibus et ante oculos Passionis Dominicæ memoriam non circumferent.

AUCTORES.

Alphonsus Rodriq., p. II, tr. VII, toto.
C. Robertus Bellarminus *de Septem verbis*.

Eusebius Nierembergius, l. II, *de Adorat.*, c. VII, VI et XI.

Gasparus Tusch, in *Matre dolorosa*.

Hieremias Drexelius, in *Christo patiente*.

Philippus D. Outreman, in *Pædagogio Christiano*, p. I, c. VIII, § 3.

Jacobus Marchantius, *Horto Pastorum*, tr. III, lect. XVI, usque ad XXII.

TOMUS III.

Nicolaus Lancizius, opusc. XI, c. VI.

Ludovicus Granat, in *Loc. comm.*, f. 54.

Mathias Faber, in *Feria Parasæve*; et *Dom. Pass.*, per aliquot Conc.

Hadrianus Lyraeus, in *Apoph. S. Ignatii*, *Apoph. XVII*, l. I.

Thomas Stapletonus in *Dom. Quing.*, tex. I, et II.

Joan. Major in *Magno spec. Exemp.*

Antonius Dauroultius in *Catechismo Historiali*, c. I, tit. XXXI, et seqq.

Josephus Langius in *Polyanthæa* V, eodem, et V. *Cruz Christi*.

Leopoldus Mancius, *de Passione Dominicæ*.

Ludovicus de Pont., p. IV, *suarum Medit.*

Laurentius Forer., p. IV, *Vitæ Christi*.

PATIENTIA.

QUOD ESSENTIAM.

DEFINITIO. — Est virtus, qua mala hujus sæculi æquo animo sustinemus, ita ut propter illa nec interius immoderate turbemur, aut tristemur, nec exterius aliquid minus honestum aut decorum admittamus. JAC. ALVAR., t. II, l. III, p. II, c. VIII, § 5. Id quod brevis Cicero expressit, dicens, esse virtutem, qua contumeliarum et omnis adversitatis impetus æquamiter toleramus. II RHETOR.

Materia ejus « proxima » sunt tristitia et afflictio animi, ex malis oriri solite: « remota » materia sunt verba, actiones, et gestus externi, quos ita regit, ut interna moderatio in eis eluceat: « remotissima » materia sunt ipsa mala, quæ sunt objectum et causa tristitiæ. BERLINCK, in *Theat. V. patient.*

Tertullianus sic eam describit, et imaginem ejus depingit: « Vultus » illi tranquillus et placidus: « Frons » pura, nulla mœroris aut iræ rugositate contracta: « Supercilia » in lætum modum remissa: « Oculi » humilitate, non infelicitate, dejecti: « Os » taciturnitatis rubore signatum: « Color », qualis securis et innoxiiis: Motus frequens

«capitis» in diabolum, et minax risus: «Amictus» circa pectora candidus, et corpori impressus, ut qui nec inflatur, nec inquietatur: «Sedet» in throno Spiritus ejus mitissimi, qui non turbine glomeratur, non nubilo livet, sed est tenera serenitatis, apertus et simplex, quem tertio vidit Elias: nam ubi Deus, ibi alumna ejus patientia: cum ergo Spiritus Dei descendit, individua patientia comitatur eum. Cap. xv, de Pat.

Divisio. — Dividitur ratione materiae varie a variis: commodissime in quinque species, quæ fere respondent quinque fontibus, ex quibus P. Balthasar Alvarez materiam patientiæ et meritorum oriri dicebat. 1. Patientia «in damnis fortune,» puta divitiis, pecoribus, fundis, aliisve similibus possessionibus, in quibus, undecumque orientur, illud S. Jobi effatum repeti oportet: Dominus dedit, Dominus abstulit: Sicut Domino placuit, ita factum est: Sit nomen Domini benedictum. Job, 1, 21. 2. Patientia «in malis corporis:» qualia sunt fames et sitis, frigus et æstus, morbi aut tormenta, sive a seipso per voluntarias castigationes et defatigationes, sive ab aliis juste illata: quæ omnia velut a divina providentia sive ad paternam castigationem, sive ad amorosam probationem, sive ad copiosiores præmiationem immissa cum summa promptitudine et æquanimitate accipi debent, ne alioqui, si queramus, illud audire cogamur, quod Deus olim B. Mariæ Diazie ob nimium frigus querenti dixit: Ego sum causa hujus frigoris, et tu queris? 3. Patientia «in malis famæ» qualia sunt, quæ vel fiunt «cogitatione» tantum, ut contemptus, suspiciones, judicia temeraria, aversiones, odia: vel «verbo» dumtaxat, ut reprehensiones, vituperationes, detractationes, convitia, contumeliæ, surrationales, accusationes, delationes, informationes: vel ipso «opere,» ut irrisiones, illusiones, castigationes, humiliationes, negationes favorum, honorum, petitionum, persecutiones, prelationes aliorum. 4. Patientia «in malis animi:» ut sunt ariditates et desolationes spiritus, scrupuli et anxietates, distractiones, obscuritates, dejectiones, imperfectiones, tentationes, lapsus in peccata, exiguus perfectus in spiritu, negatio favorum et donorum cœlestium, probationes Confessoriorum et Patrum spiritalium. 5. Patientia «in malis proximi:»

quæ vel oriuntur ex aliorum pravis moribus et factis, nec emendari aut averti a nobis possunt: vel certe ex casibus sinistris amicorum, puta infortunis, infamationibus, depressionibus, morbis, mortibus, aliisve similibus afflictionibus. P. BALTH. ALVAR., c. x.

ACTUS. — «Suis peccatis imputare, quæ quis patitur.» Ita Christus S. Birgittam docuit, dicens: Si quis vituperatur, non contristetur, sed respondeat sic: Dignum est, quia toties in conspectu Domini peccavi, et non penitui, majoribus enim afflictionibus digna sum. Ideo rogate pro me, ut tolerando opprobria temporalia, fugiam sempiterna. Hinc recte S. Laurentius Justinianus, humilis, ait, semper arbitrat, se deteriora mereri, quam patitur; quamobrem patienter aspera sustinet, gratias in tentationibus agit. Nec valet quis humano explicare ingenio, quantæ sit utilitatis, quanti meriti, et quam sit Deo gratum, non altum sapere, tribulationes irruentes perferre fortiter, illatas contumelias tranquilla mente pati, et humiliter adversantia quæque adversa propriis peccatis ascribere. L. VI, Rev., c. LXV.

«Silere, cum aliquod vel a Deo, vel proximo malum infertur:» ita S. David suo exemplo docuit, dicens: Obmutui, et non aperui os meum, quia tu fecisti. PSAL., XXXVIII, 40. Plena certe, teste S. Laurentio Justiniano, victoria est, ad contumeliam acclamanti non respondere, et tacere eo provocante. Nam sicut nihil est deformius, quam respondere furiosis, ita nihil utilius, quam tacere nobis provocatis. S. LAUR. JUST., c. IV, de Pat. Imo, ut quidam antiquorum Patrum dixit, omnis labor, quicumque evenit tibi, taciturnitate superabitur. Hinc sapiens erat paradoxum Fr. Ægidii: Quando quis contendit tecum, si vis vincere, perde: si vincis teipsum, vincis omnes inimicos tuos. Magna virtus est, si quis permittat se vinci ab omnibus hominibus, quia talis est dominus totius mundi. VII PP., v, libell. XVI, n. 9. Ideo enim te quis lædit, teste Tertulliano, ut doleas, quia fructus lædentis in dolore læsi est: ergo cum fructum ejus averteris, non dolendo, ipse doleat necesse est amissione fructus sui. Et alibi: Omnis injuria, inquit, seu lingua, seu manu incussa, cum patientiam offenderit, eodem exitu dispungetur, quo telum aliquod in petra constantissimæ du-

ritiæ libratum et obtusum. Concidit enim ibidem irrita opera et infructuosa, et nonnumquam repercutsum in eum, qui emisit, reciproco impetu sæviet. LANCIZ., Opusc., IX, n. 169, l. de Pat., c. v.

Ita Christus, teste S. Ambrosio, calumniis appetitus, silentium detulit triumphale. LANCIZ., Opusc., IX, c. CLXIII.

«Non se excusare:» magnum enim, ut S. Theresia aiebat, humilitatis argumentum est, videre immerito et innocente nos damnari, et silere. Quod qui faciat, nec ille Dominum Deum egregie imitatur. Licet enim id nobis peccatum non sit, cujus insimulamur, numquam tamen ita omnis culpe expertes sumus, sicut bonus Deus erat. Numquam ullum aliquod malum de me loquentem audivi, quia liquido perspicerem, minus illum dicere, quam revera id erat. Unde plus quam satis mihi favere videbantur, quod de aliis nihil dicerent. In Itiner. Perfect., c. xv. Hinc S. Augustinus, tacuit, inquit, Salvator, quia taceat lingua, necesse est, ubi veritas adest. Taceat lingua in bono negotio, quæ et in malis causis obtinere consuevit. Nolo sic defendi justitiam, sicut iniquitas solet excusare. Scivit enim Salvator, quomodo tacendo vinceret, quomodo non respondendo superaret; atque adeo causam suam mavult comprobare, quam dicere. S. AUGUST., serm. CVIII., de Temp.

«A lacrymis abstinere:» ita Christus Susonem docuit, dum ipsum propter dietaria et irrisiones aliorum flentem corripuit his verbis: «Proh pudor! visne in feminæ morem lacrymari? certe tibi ipsi apud omnes cœli civis ignominia notam inures. Terge oculos, et hilarem vultum exibe, ut neque dæmones, neque homines animadvertant, afflictionis causa te plorare.» Vita, c. XLVII.

«Non decedere a locis et personis, a quibus qui patitur:» ita olim antiqui Patres suadebant dicentes. Si tibi contigerit tentatio in loco, in quo habitas, non deferas locum in tempore tentationis, quia si deserueris, quocumque perrexeris, ante te invenies, quod fugiebas: sed patiens esto, donec tentatio transeat, ne discessio tua aliis scandalum faciat, et ne forte alius, qui circa ipsum locum habitat, tribulationem ingerat discessio tua. Quam doctrinam studiose socii S. Francisci observabant, utpote quos amor Evangelii adeo patientes fecerat, ut

quærent potius sibi esse, ubi persecutionem patenter in corpore, quam ubi cognita eorum sanctitate, mundano possent gaudere favore. Chron., p. I, c. IV.

«Non petere, ut auferatur tribulatio:» sic S. Catharina Senensis, cum esset inique accusata, et infamata quasi impura virginitatis jacturam fecisset, et hanc ipsam suam infamiam Christo offerret, non petit, ut innocentiam suam declararet, sed tantum, ne a dæmone superaretur, et a divino obsequio abstraheretur. L. II, Vit., c. XI. Quem in finem Epitactus saluberrimam doctrinam offert his verbis: Quemadmodum viator ex obvio seiscitatur, quamvis sit incedendum, eam, quæ ad dextram est, non magis appetens, quam eam, quæ ad levam dirigitur, utpote cum non velit alterutra istarum ingredi, sed ea tantum, qua possit pervenire ad destinatum locum; ita sane conveniebat nos quoque accedere ad Deum, ut solent facere viatores. At nunc tremebundi moramur aviculam, et Deum implorantes, rogamus ipsum supplices: Miserere mihi Domine; da ut possim evadere. Ignavissime homo, aliunde expetis, quam id, quod melius est, quam quod visum Deo fuerit? Quare, quantum in te est, corrumpis iudicem? seducis consiliarium? Lib. II, Ench., c. VII.

«Desiderare afflictiones.» S. Job exemplo dicentis: Quis det, ut veniat petitio mea, et quod expecto, tribuat mihi Deus? et qui cepit, ipse me conterat, solvat manum suam et succidat me, et hæc mihi sit consolatio, ut affligens me dolore non pareat? Ion., x, 24. Porro utilitatem hujus desiderii egregie declaravit S. Laurentius Justinianus dicens: Quis hujus sancti desiderii valet profectum explicare? Animo quippe vires subministrat, et penam exhibet leviorum, perseverantiam præbet, sanctitatem adducit, coæquant Martyribus, et colesti patria dignum suum efficit possessorem. S. LAUR. JUST., de Discipl. monast., c. VI.

GRADUS. — «Patienter» tolerare, quod ferendum est: nam impudicæ et frigidæ mentis experimentum est, nolle pati; reprobo vero, murmurare de verbere. Quid vero deformius, quam adversus corrigentem et amantem irasci patrem? IDEM, de Cast. conn. Atque hic gradus incipientium proprius in hoc situs est, ut dum aliquid molesti accidit non offenderat Deus affectu, verbo, aut facto, signove, sed patienter, licet pœnaliter,

afflictio toleretur. S. LAUR. JUST., c. vi, de *Pat.*

« Libenter » omnia sufferre, seu ita, ut, si optio daretur, mallet quis pati, quam carere afflictione, qui gradus proficuum est. Ulpote qui dicunt cum S. Davide: Bonum mihi, quia humiliasti me, Ps. cxviii, 71, et cum S. Paulo: Placeo mihi in infirmitatibus meis. COL., i, 4.

« Hilariter » pati afflictiones, juxta S. Pauli exemplum dicentis: Gaudeo in passionibus meis: et iterum: Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra. II COR., vii, 4. Nam sic agunt, teste S. Chrysostomo, qui amant, cum pro iis, quos amant, aliquid patiuntur; cum gaudio enim hoc faciunt, tuncque videntur sibi optatis perfrui, cum ea, quæ perferunt, sint gravissima. Hinc, ut alibi ait, flagellabantur Apostoli, et gaudebant: vinciebantur, et gratias agebant; Lapidabantur et prædicabant. S. CHRYS., ep. iv, ad *Episc.* in *carc.* hom. xlv, ad *Pop. Antioch.*

« Gratias agere pro tribulationibus immisissis: » nam, ut recte S. Hieronymus dixit, pro beneficiis gratias agere vel Idololatæ ac Judæi norunt; pro calamitatibus, ac miseris soli Christiani. S. HIER., in c. v, Eph. xx. Hinc S. Chrysostomus: Hæc est voluntas Dei, gratias agere: hoc est animæ sapienter institutæ. Passus es aliquid mali? si velis, non est malum: gratias age Deo, et malum in bonum commutasti. Certe, ut idem alibi ait, nihil est anima illa sanctius, quæ in malis gratias agit. Revera illa nihil distat ab anima Martyris: similiter et ipse, et illa coronatur. Nam eam quoque urget licitor, qui Deum per blasphemiam negare instat, et diabolus cogitationum urgens carnificinis et tenebras offundens animi ægritudinibus. S. CHRYS., t. V, h. viii, in c. iii, ad *Col.* Verius ergo talis dicere potest, quod Seneca, qui quesitus, quomodo rarissimam rem in aula consecutus esset, respondit: Injurias ferendo, et gratias agendo. SEN., l. III, de *Ira*, c. xxxiii.

« Adversarium, qui videtur causa mali, velut singularem beneficentem agnoscere, » ideoque 1. « Excusare, » juxta illud S. Bernardi monitum: Excusa intentionem, si opus non potes: puta ignorantiam, puta subreptionem, puta casum. S. BERN., s. xl. Ita sane S. Ignatius fecit, qui omnia, quæ fiebat, usque adeo bene interpretabatur, ut natum domi proverbium fuerit: « Interpre-

tatione Patris. 2. Laudare » illum, juxta exemplum SS. Apostolorum; maledicimus, et benedicimus. I COR., iv, 12. Item S. Moyses, de quo S. Ambrosius: Quantas, ait, Moyses a populo Dei absorbebat contumelias, et cum Dominus insolentes vindicare vellet se tamen pro populo offerebat frequenter, ut indignationi divinæ plebem subduceret: quam mihi sermone post injurias appellabat populum, solabatur in laboribus, deliniebat oraculis, fovebat operibus. Et quamvis cum Deo constanter loqueretur, homines tamen humili et grata appellatione affari solebat. Merito æstimatus est supra homines ut vultui ejus non possent intendere. S. AMBR., l. II, *offic.* c. vii, 3. « Orare: » nihil enim, ut S. Agnes S. Birgittæ olim dixit, est pulchrius aut acceptius Deo, quam lædentem se diligere, et pro persequentibus orare. L. IV, *Revel.* c. cxxiv. Hinc S. Chrysostomus hortatur: Læsit te quispiam, aut contumelia insectatus est, Deum precare, ut mox illi reconcilietur, et parcat. Frater enim est, tum membrum est, eodem, quo tu, patre genitus ad eandem vocatus est mensam. Dicit aliquis: At si id egero, majorem mihi in modum insultabit. Ergo et majora te, et plurima manebunt præmia. S. CHRYS., s. de *Laudæ Dei.*

EX S. SCRIPTURA.

QUALITAS. — Qui timent Dominum, custodiunt mandata illius, et patientiam habebunt usque ad inspectionem illius. ECCL., ii, 21.

Obsecro vos ego vincitum in Domino, ut digne ambuletis vocatione, quæ vocati estis, cum omni humilitate et mansuetudine, cum patientia, supportantes invicem in charitate. EPH., iv, 1.

In omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in vigiliis. II COR., vi, 4.

Non cessamus orantes pro vobis, et postulantibus, ut impleamini agnitione voluntatis ejus: ut ambuletis digne Deo per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes et crescentes in scientia Dei, in omni virtute confortati secundum potentiam charitatis ejus: in omni patientia et longanimitate, cum gaudio gratias agentes Deo et Patri, qui

dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum. COLOSS., i, 3.

Nos ergo non ulciscamur nos pro his, quæ patimur, sed reputantes peccatis nostris hæc ipsa supplicia minora esse flagella Domini, quibus quasi servi corripimur, ad emendationem, et non ad perditionem nostram evenisse credamus. JUDITH., viii, 26.

QUALITAS PATIENTIÆ IN DAMNIS FORTUNE. — Nudus egressus sum de utero matris meæ, et nudus revertar illuc. Dominus dedit, Dominus abstulit. Sicut Domino placuit, ita factum est. Sit nomen Domini benedictum. JOB., i, 21.

Rapinam honorum vestrorum cum gaudio suscepistis, cognoscentes, vos habere meliorem et manentem substantiam. HEBR., x, 34.

Ab eo, qui auferit tibi vestimentum, etiam tunicam noli prohibere. LUC., vi, 29.

QUALITAS PATIENTIÆ IN MORBIS. — Multiplicata sunt infirmitates eorum, postea acceleraverunt. PSAL., xv, 9.

Infirmitas gravis sobriam facit animam. ECCL., xxxi, 2.

Fili, in tua infirmitate ne despicias temeritipsum, sed ora Dominum, et ipse curabit te. IBD., xxxviii, 9.

Scimus, quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam æternam in cœlis. II COR., v, 1.

Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi. IBD., xii, 9.

Propter quod placeo mihi in infirmitatibus. Cum enim infirmor, tunc potens sum. IBD., 10.

Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei: ut glorificetur Filius Dei per eam. JOAN., xi, 4.

QUALITAS PATIENTIÆ IN CONTEMPTU. — Beati estis, cum maledixerint vobis homines, et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum adversum vos mentientes propter me: gaude, et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis. Sic enim persecuti fuerunt Prophetas, qui fuerunt ante vos. MATT., v, 11.

Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis, quoniam, quod est honoris, gloriæ et virtutis Dei, et qui est ejus Spiritus, super vos requiescit. I PET., iv, 14.

QUALITAS PATIENTIÆ IN AFFLICTIONIBUS ANI-

mæ. — Tristitia implevit cor vestrum; sed tristitia vestra vertetur in gaudium. JOAN., xvi, 6 et 20.

Vos igitur nunc quidem tristitiam habetis iterum autem videbo vos, et gaudebit cor vestrum, et gaudium vestrum nemo tollet a vobis. IBD., 22.

Hæc est enim gratia, si propter Dei scientiam sustinet quis tristitias patiens injuste. I PET., ii, 19.

Posuit me desolatam, tota die mœrore confectam. Idcirco ego plorans, et oculus meus deducens aquas. Justus est Dominus, quia os ejus ad iracundiam provocavi. THEREN., i, 13.

Recordare paupertatis et transgressionis meæ, absynthii et fellis: memoria memor ero, et tabescet in me anima mea. Hoc recollens in corde meo ideo sperabo. Misericordia Domini, quia non sumus consumpti: quia non defecerunt miserationes ejus. IBD., iii, 19.

Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? MARC., xv, 34.

QUALITAS PATIENTIÆ IN MORTE CARORUM. — Modicum plora super mortuum, quoniam requievit. ECCL., xiii, 11.

Fili, in mortuum produca lacrymas, et quasi dira passus incipe plorare, et fac luctum secundum meritum ejus uno die vel duobus propter detractionem, id est, ne alii calumniantur te propter mortem lætari. ECCL., xxxviii, 16.

Nolumus autem vos ignorare, fratres, ut non contristemini, sicut et cæteri, qui spem non habent. Si enim credimus, quod Jesus mortuus est, et resurrexit, ita et Deus eos qui dormierunt per Jesum, adducet cum eo. THESSAL., v, 13.

NECESSITAS. — Nolite itaque amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem. Patientia enim vobis necessaria est, ut voluntatem Dei facientes reportetis promissionem. HEBR., x, 35.

Quos præscivit, hos et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit Primogenitus in multis fratribus, ROM., viii, 29, (id est, ut Vasquez et Cornelius a Lapide interpretantur; quos Deus præscivit sibi amicos et dilectos pro gratiam suam futuros), hos etiam prædestinavit ad hoc, ut paterentur, et fierent conformes Filio suo in patientia, utpote qui pro nobis tot labores et ærumnas sustinuit. VASQ., l. I, p. 22.

Nemo moveatur in tribulationibus istis;

ipsi enim scitis, quod in hoc positi sumus. I THESS., III, 3.

Omnes, qui pie volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur. I TIM., III, 12.

ÆQUITAS. — Patientes igitur estote, fratres, usque ad adventum Domini. Ecce agricola expectat pretiosum fructum terræ, patienter ferens, donec accipiat temporaneum et serotinum. JAC., V, 7.

Ecce Iudex ante januam assistit. Exemplum accipite, fratres, exitus mali, et longanimitatis, et patientiæ, Prophetas, qui locuti sunt in nomine Domini. Ecce beatificamus eos, qui sustinerunt. Sufferentiam Job audistis, et finem Domini vidistis, quoniam misericors Dominus, et miserator. IB., 10.

Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus. I PETR., II, 21.

Si mundus vos odit, scitote, quia me priorem vobis odio habuit. JOAN., XV, 18.

Omne, quod tibi applicitum fuerit, accipe et in dolore sustine, et in humilitate tua patientiam habe, quoniam in igne probatur aurum, et argentum, homines vero receptibiles (id est, acceptabiles) in camino humilitatis. ECCL., II, 4.

Recogitate eum, qui talem sustinuit a peccatoribus adversus semetipsum contradictionem, ut ne fatigemini animis vestris deficientes. HEBR., XII, 3.

Nos quidem juste, nam digna factis, recipimus; hic vero nihil mali gessit. LUC., XXIII, 41.

Non est servus major domino suo. Si me persecuti sunt, et vos persequuntur. JOAN., XV, 20.

UTILITAS. — Quoniam servasti verbum patientiæ, et ego servabo te ab hora tentationis, quæ ventura est in orbem universum tentare habitantes in terra. APOC., III, 10.

In patientia vestra possidebitis animas vestras. LUC., XXI, 19.

Gloriamur in tribulationibus, scientes, quod tribulatio patientiam operatur: patientia vero probationem: probatio vero spes: spes autem non confundit. ROM., V, 4.

Vir iracundus provocat rixas: qui patienter est, mitigat suscitatas. PROV., XV, 18.

Quod in præsentem momentaneum est et leve tribulationis nostræ, supra modum in

sublimitate æternam gloriæ pondus operatur in nobis. II COR., II, 17.

Existimo, quod non sunt condignæ passionis hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. I COR., II, 2.

DIGNITAS. — Filii mi, noli negligere disciplinam Domini; neque fatigeris, cum ab eo corripieris, Quem enim diligit Dominus, castigat, flagellatautem omnem filium, quem recipit. HEBR., XII, 5.

Ego, quos amo, arguo, et castigo. APOC., III, 19.

Disciplinam Domini, filii mi, ne abjicias: nec deficias, cum ab eo corripieris; quem enim diligit Dominus, corripit, et quasi pater in filio complacet sibi. PROV., III, 12.

Quia acceptus eras Deo, necesse fuit, ut tentatio probaret te. TOB., XII, 13.

Melior est patiens viro forti: et qui dominatur animo suo, expugnator urbium. PROV., XVI, 32.

Si beneficientes patienter sufferitis, hæc est gratia apud Deum. I PET., II, 20.

Vobis donatum est pro Christo, non solum ut credatis, sed etiam ut pro illo patiamini. PHILIP., I.

JUCUNDITAS. — Omne gaudium existimate, fratres mei, cum in tentationes varias incideritis, scientes, quod probatio fidei vestra patientiam operatur, patientia autem opus perfectum habet. JAC., I, 4.

Communicantes Christi passionibus gaudete, ut et in revelatione gloriæ ejus gaudeatis exultantes. I PET., IV, 13.

Usque in tempus sustinebit patiens, et postea reddito jucunditatis. ECCL., I, 29.

Sicut abundant passionis Christi in nobis; ita et per Christum abundat consolatio nostra. II COR., I, 5.

Secundum multitudinem dolorum, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam. PSAL. XXXIX, 19.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

QUALITAS. — Non bona patientia est, cum possis esse liber, servum le peccati permittere fieri. Vera patientia est, pati vel agere contra, quod libeat, sed non præter quod liceat. S. BERN., I, I, de *Consid.*

Patientia vera est, quæ et ipsum amat, quem portat; nam tolerare, sed odisse, non

est virtus mansuetudinis, sed velamentum furoris. S. GREG., hom. VII, *sup. Ezech.*

Numquam est patientiæ virtus in prosperis. Ille autem vere patiens est, qui et adversis conteritur, et tamen a spei rectitudine non curvatur. IDEM, I, II, *Mor.*

Tribus modis virtus patientiæ exerceri solet. Alia namque sunt, quæ a Deo; alia, quæ ab antiquo adversario; alia, quæ in proximo sustinemus. A proximo namque persecutiones, damna, et contumelias sustinemus, ab antiquo vero adversario tentamenta, a Deo flagella toleramus. Sed in his omnibus modis vigilantibus oculo semetipsam debet mens circumspicere, ne contra mala proximi pertrahatur ad retributionem mali: ne contra tentamenta adversarii seducatur ad delectationem: ne contra flagella Opificis proruat ad excessum murmurationis. IDEM, hom. VI, *sup. Evang.*

Triplitem hic considerare licet gradem; incipientium, proficientium, perfectorum. Qui initiatur a timore, crucem Christi sustinet « patienter: » qui proficit in spe, portat « libenter: » qui vero consummatur in charitate, amplectitur jam « ardentem. » Solus etenim iste est, qui dicere possit: Amator tuus semper fui, et desideravi amplecti te. Felix anima, quæ ad hunc pervenerit gradum. S. BERN., ser. I, de *S. Andr.*

Igitur quando bene est, lauda misericordiam: quando male est, lauda justitiam. Tu, qualis filius es? Quando pater te emendat, tunc tibi displicet. Non emendaret, nisi tu illi displiceret. At si sic displiceret, ut te odisset, non ille te emendaret. Gratias age ergo emendatori, ut accipias hæreditatem a Deo, qui te emendat. S. AUG., in *Ps. XLVIII.*

Christianorum propria virtus, etiam in his, quæ adversa putantur, gratias agere Creatori. Juxta Apostolum, hæc virtus est maxima, ut in ipsis periculis, atque miseriis gratiæ Deo referantur, et semper dicamus: Benedictus Deus, minor me scio sustinere, quam merear: hic animus Christiani est. S. HIER., in c. V, *Eph.*

Si vis probare, qui sunt in Ecclesia Dei granum, vel palea, adhibe oris indicem, id est, perla aliqua convitia; si steterit, granum est; si palea, recedit in altum; et quanto minor et levior, tanto magis in altum ascendit, id est, magis movetur, et superbe respondet. MANSI., d. XIX, tr. LXXIII, n. 6.

Manet dissimilitudo passorum, etiam in similitudine passionum; et licet sub eodem tormento, non est tamen idem virtus et vitium. Nam sicut sub uno igne aurum rutilat, et palea fumat, et sub eadem tribula stipule comminuantur, frumenta purgantur; nec ideo oleum cum amurea confunditur, quia eodem præli pondere exprimitur. Ita una eademque vis irruens bonos probat, purificat, obliquat: malos vastat, damnat, et exterminat; unde in eadem afflictione mali Deum detestantur, atque blasphemant: boni autem precantur, et laudant; tantum interest, non qualia, sed qualis quisque patiat. Nam pari motu exagitationum, et exhalat horribiliter eorum, et fragrat suaviter unguentum. S. AUG., I, I, de *Civit.*

Sanctis et electis tribulatio operatur patientiam, patientiam probationem, probatio vero spem, spes autem non confundit. Sic damnandis et reprobis tribulatio parit e contrario pusillanimitatem, pusillanimitas perturbationem, perturbationem desperationem, et illa interimit. Ne ergo hæc te tam horrenda, quod Deus avertat, demergat tempestas aquæ, etc. S. BERN., *epist. XXXII.*

Non esset laudabilis, nec admiranda patientia, si nullis inimicorum jaculis impetita, tranquillitatis propositum retineret, sed in eo est præclara, atque gloriosior, quod irruentibus in se tentationum procellis, immobilis perseverat; nam in quo vexari, frangique adversitatibus creditur, in eo potius roboratur, et in eo magis acuitur, in quo putatur obtundi; a passionibus enim et sustentatione patientiam dici, nullus ignorat; ideoque constat, patientem neminem pronuciari posse, nisi eum, qui universa, quæ sibi fuerint irrogata, absque indignatione toleravit. CASSIAN., *collat. XVIII,* c. XIII.

Plerumque ideo patientes videmur quia retribuere mala non possumus; sed qui idcirco malum non retribuit, quia nequaquam valet, procul dubio patiens non est, quia patientia non in ostensione inquitur, sed in corde. GREG., in hom. *super Evang.*

QUALITAS PATIENTIÆ IN DAMNIS FORTUNÆ. — Faciamus de necessitate virtutem seu voluntatem: exempli gratia, proprium quis amisit filium, substantiam alius omnem et fortunæ bona; si noveris, quod pactum est semel, nec deberi amplius, nec solvi posse, licebat insanabili calamitate utilitatis aliquid comparare, si magno ac virili animo adver-

sos toleraris fortunæ casus, proque maledictis Domino laudem referas? hoc pacto, quæ præter spem obvenierint mala, in voluntatis officium commutabis. S. CHRYS., s. x.

QUALITAS PATIENTIÆ IN MORBIS. — Infirmas corporis, sobrietatis mentis est: infirmitas, virtutum officina est. S. AMBR., s. LXXIV.

Divina dispensatione agitur, ut prolixiora vitia ægritudo prolixior exurat. S. GREG., hom. XIX, in *Ev.*

Admonendi sunt ægri, ut considerent, quanti sit muneris ægritudo corporalis, quæ et admissa peccata diluit, et ea, quæ admitti poterant, compescit. S. GREG., p. III, *past. admo.*, III.

Tussi laboras, pulmone deficiis, cibum stomachus respuit, phthisi decoqueris, vinum fastidis, dysenteria sauciaris, multimodo morborum genere afficeris, multi hæc si oculum habes, si cordatus es, Dei tota sunt, disciplinam ne abjicias, filii. S. AUG., l. de *Vis. infirm.*, c. III.

Podagræ doloribus torqueor, qui et mihi, et vobis non disparilliter nocivi, dum apud nos vehementer excrescunt, nos decrescere a vita fecerunt. Inter quos quid aliud debemus nisi semper delicta nostra ad memoriam revocare, atque omnipotenti Deo gratias agere. Quoniam qui ex carnis blandimento multa peccavimus, ex carnis afflictione purgamur. Curandum igitur nobis est, et in fletibus tota mentis conversione vigilandum, ut ne de tormento ad tormenta transeamus. S. GREG., l. IX, *ep.*, XXII.

Morbi sæpe peccatorum flagella sunt, quibus nihil aliud agitur, nisi ut vitam in melius commutemus. Quare qui ejusmodi sunt, hi omissis medicorum auxiliis, invectas sibi acerbitates ferre silentio debent, quodcumque se peccasse animadvertierint, atque illum imitari, qui dixit: Iram Domini portabo, quoniam peccavi ei; nec non vitæ suæ prava studia emendare, et dignos poenitentia fructus edere. S. BASIL., in *Reg. interr.*, LV.

QUALITAS PATIENTIÆ IN INJURIIS. — Inter verba laudantium, sive vituperantium ad mentem semper recurrendum est; et si in ea non invenitur bonum, quod de nobis dicitur, magna tristitia generari debet. Et rursum si in ea non invenitur malum, quod de nobis homines loquuntur, in ma-

gnam debemus lætitiæ prosilire. Quid enim si homines laudant, et conscientia accuset? aut quæ debet esse tristitia, si omnes accusent, et sola conscientia nos liberos demonstret? S. GREG., l. VIII, *ep.*, XLV.

Insidii et calumniæ injuriam non patimur, sed illi, qui faciunt. S. CHRYS., hom. LVIII, *ad Pop.*

Qui vere cupit esse homo Christi, paupertatem divitias cum gaudio existimare, debet, asperitatem victus delicias, improprium honorem, et contumelias gloriam ducere. Hæc enim vera servorum Dei gloria est. S. ERM., t. II, de *Fide*.

Tunc omne fidei robor expenditur, tunc credulitas comprobatur, cum in sermones vulgi, atque in opprobrium veneris: cumque te contra illos populares infamias firmaveris, convincens scilicet, ac repugnans, quidquid super persona tua in injuriam Christi profanus sermo jactaverit. S. CYPR., l. de *Laud. Mart.*

Perfacile est vestem contempnam habere, inclinato capite incedere, velum super humeros dimittere; sed verum humilem patientia ostendit injuriæ. AUG., *ad Probam*.

Vere magni animi est, quasdam injurias negligere, nec ad quorundam convitia aures vel linguam habere. CHRYS., *sup. Ep. ad Heb.*, s. XXX.

Pulchrius est alienam petulantiam ferre, quam referre. *Ibid.*

QUALITAS PATIENTIÆ IN MALIS ANIMI. — Grata mens, et vere charitatis jaculo vulnerata, nihil quod ad se pertineat, percipere negligit. Eadem virtutum exercitia, idem orationis studium peragit, cum spiritualis penuriam lætitiæ patitur, sicut cum divino calore repletur, licet id non eodem agat gustu. Scit namque sapientiæ erudita magisterio, quod majorum donorum dignior efficitur post labores et certamina. S. LAUR. JUST., de *Discipl.*, l. c. XVII.

Revocationis verbum « Reverte » est. Et forte ideo subtraxit se, quo avidius revocaretur, teneretur fortius. Nam et aliquando simulabat se longius ire, non quia hoc volebat sed volebat audire: Mane nobiscum, Domine, quoniam advesperascit. Præteriens teneri vult, abiens revocari. It, et redit pro beneplacito, quasi visitans diluculo, et subito probans. Et sicut ait: Vado, et venio ad vos. Habes utrumque in Propheta: Si moram fecerit, inquit, expecto eum, quia veniens veniet, et non tardabit. Quomodo

non tardabit, si moram fecerit, nisi quia ad meritum satis est, sed non satis ad votum. Porro anima amans votis fertur, trahitur desideris, et cum fiducia repetit delicias suas, solita libertate vocans non Dominum sed dilectum: Revertere dilecte mi. S. BERN., s. LXXIV, in *Cant.*

Hæc vicissitudo amantibus est, quidem laboriosa, sed exercitatis perutilis. Parit enim humilitatem, custodit innocentiam, offensam mundat, accendit spiritum, dolorem inducit, prudentiam perficit, commendat perseverantiam, custodiæ adhibet diligentiam, torporem excutit, concupiscentiarum flammam extinguit, ad inquisitionem provocat, qualiterque reperiri valeat, sufficienter edocet. S. LAUR. JUST., de *Casto. con.*, c. XIII.

Charitatem militis ad Imperatorem cum indicat bellum; Monachi vere charitas ad Deum, maxime eo tempore, quo astat orationi, reprehenditur, si scilicet in ea ariditates et desolationes patiat. CLM., *Grad.*, XXVIII.

QUALITAS PATIENTIÆ IN MORTE, ET AFFLICTIONE CHARORUM. — Neque mulieribus, neque viris permittit decoris et honestatis oratio, ut vel luctum studio affectent, vel immodicis se conficiant lacrymis, tantum sinuntur rebus minus lætis esse quadantenus mæsti, lenesque fundare lacrymas, idque cum silentio, citra ullum ejulatam, vestitum lacerationem, nec pulvere caput aspergant, nec alio quovis pacto indecore se gerant, eorum exemplum imitati, qui humanarum rerum prorsus sunt rudes. Nonne Job adamantino erat corde cum momento temporis plaga una eademque obrutis sunt liberi decem? S. BASIL., hom. IV, de *Grat. act.*

Depone merorem, si potes. Si non potes, include. Aut Absorbendus omnis, aut premandus est dolor. Cum enim mestitiam tuam non ratio potius, quam dies leniat? nam quod obliteratura est temporis series, prudentia melius mitigabit. Quin etiam hoc ipsum irreligiosum puto, erga ipsorum memoriam, quos dolemus amissos ut oblivisci eorum maluimus, quam consolatione mulceri, aut cum horrore reminisci, quam meminisse cum gratia: recordationem timere, quorum imago debeat esse voluptati. S. AMBR., t. II, de *Mort. fratris*.

Detestandæ sunt lacrymæ, plenæ sacrilegio, incredulitate plenissimæ, quæ non ha-

bent modum, quæ usque ad viciniam mortis accedunt. Ululas, et exclamitas, et quasi quibusdam facibus accensa, quantum in te est, tui semper homicida es. Sed ad talem clemens ingreditur Jesus, et dicit: Quid ploras? non est mortua puella, sed dormit. Irrideant circumstantes. Infidelitas Judæorum est. Te quoque si voleris ad sepulcrum filia volutari, Angelus increpabit: Quid quaeris viventem cum mortuis? S. IHER., *epist. II ad Paulam*.

Migrantes lugeamus, non prohibeo. Lugeamus, sed non indecenter. Amare plora domi, ubi nemo te spectet: hoc est misericordiae: hoc et tibi prodesse potest. S. CHRYS., hom. LXXIX *ad Pop. Antioch.*

Christus certe ad tumulum Lazari, nec flentes arguit, nec a fletu prohibuit, insuper et flevit cum flentibus. Fuerunt lacrymæ illæ testes profecto naturæ, non indices dissidentia. Denique et prodiit mox ad vocem ejus qui erat mortuus, ne continuo putes fidei præjudicium dolentis affectum. Sic nec fletus noster utique infidelitatis est signum, sed conditionis indicium. Nec quia percussus ploro, arguo ferientem, sed provoeco pietatem, severitatem flectere satago. Unde et verba mea dolore sunt plena, non tamen et murmure. S. BERN., s. XVI, in *Cant.*

At consuetudinem defuncti desideras, et propterea lamentaris, sed hoc vehementer absurdum est. Si enim sponso aliam filiam in matrimonium copulaveris, deinde ille eam abducens in longinquam discesserit regionem, atque ibi in omnium rerum abundantia vivat, nequaquam hoc moleste feres, sed dolorem, quem ex absentia ejus diuturnitate capis, prosperitatis illius communi fama mitigas. Nunc autem non homine, non servo aliquo accipiente, sed Domino requirente, quem debet, mœres ac lamentaris. S. CHRYS., *Super dict. Ap. Nolo vox*, etc.

Bonus est Deus, et omnia, quæ bonus facit, bona sint, necesse est. Mariti orbitas irrogatur, plango, quod accidit. Sed quia sic placet Domino, æquo animo sustinebo. Unicus raptus est filius, durum quidem sed tolerabile, quia sustulit ille, qui dederat: S. IHER., in *Ep. ad Paul.*

Quamobrem luges maritum? quod speras forte, te securiorem in hac vita futuram? at hoc ipsum quantæ est incredulitatis, te de illo id sperare, et non de Deo.

Quomodo putas Deum non irritari? nam plerumque ob id ipsum eos aufert, ne spem in iis colloces. Emulator enim est Deus, et vult a nobis omnium potissimum adamari, idque ea ratione, quod eos vehementer amet. Nam cuius gratia, dic, queso, olim non ita immatura flebant viduitates et orbitates. Quamobrem Abraham, et Isaac multum temporis vivere permisit? Eo quod ille vivo etiam filio Deum prætulit. Nunc vero quoniam adeo ad libidinem intemperanter ferimur, et mariti uxores plus amamus, quam Deum, et uxores maritos suos Deo præferunt, horum gratia nos invitos quoque ad amorem suum trahit. Ne virum plus ames, quam Deum, et viduitatem non senties unquam. Imo, si acciderit viduitas, nullum tamen ejus sensum capies. Quare? quia habes, qui te magis amet; tutorem immortalem. S. CHRYS., hom. VI in *Ep. ad Thess.*

Cum cognoveris aliquem tibi conjunctum ex hac vita discessisse, ne moleste feras, sed cum dolore punctus fueris, te collige, in conscientiam tuam inquire, considera, quod idem paulo post manebit exitus. Moderare tibi, et ex aliorum morte timorem cape, socordiam omnem præcide, facta tua animo repete, errata corrige, quam optimam facito mutationem. Hoc enim discamus ab infidelibus, quod judicia de rebus alia, quam illi habeamus. Videt cadaver ille et cadaver putat esse. Video cadaver ego, et puto somnum esse, et partem mortis. Cogita animam ad quem obit, et cape consolationem. Ubi Petrus et Paulus, ubi Sanctorum coetus omnis est. Cogita, corpus quomodo resurget, quanta cum gloria et splendore? Cogita, quod lugendo et lamentando, quod lacrymis nihil proficies, et ad extremum te ipsum lædes. S. CHRYS., in Verba Ap. *Nolo vos ignorare.*

QUALITAS PATIENTIÆ IN MARTYRIO. — Christianus extra carcerem sæculo renuntiavit, in carcere autem etiam carceri. TERT. I. ad *Marc.*, c. II.

Beatus est igitur sapiens in tormentis, sed cum torquetur pro fide, pro justitia, pro Deo: illa patientia doloris beatissimum faciet. LACT. FIR., l. III de *Instit.*

Sine ferro et sanguine Martyres esse possumus, si patientiam veraciter in animo custodimus. Mori a persequente, martyrium est in aperto opere; ferre vero contumelias, odientes diligere, martyrium est in occulta cogitatione. S. GREG., hom. xxxv in *Evang.*

Beatus, qui propter Deum quotidie maledictis et convitiis lacessitus, sibi vim fecerit: hic enim Martyribus tripudiantibus, et Angelis parem confidentiam, et gloriam merebitur. S. CLM., *Grad.* IV.

Credite mihi, pejora sunt, quæ nunc patiamur, his, quæ Paulus passus est. Eum illi lapidibus cædebant, sed nunc accidit, ut verbis, lapidibus durioribus feriamur. S. CHRYS., hom. IV ad *Pop.*

NECESSITAS. — Ea est Christianæ Religionis via, ut, ubi est Spiritus Sanctus, ibi statim sequatur confictus et persecutio. S. MAGAR., hom. xv.

Intelligamus, quanto studiosiores, pro nostra salute fuerimus, tanto vehementius ab adversariis impetendos. Hinc Psalmo tertio dicitur: Detrahebant mihi quoniam sequebar bonitatem. S. LAUR. JUST.

Ego fidenter dico, quia minus pie vivis, si minus persecutionem pateris. S. GREG., l. VI, ep. xxvii.

Cogita, quod sive velis, sive nolis, calamitatem patieris: quod si grate, maxime lucraberis; si vero ægre et impatienter feres, neque illam ita minorem facies, sed majorem reddes procellam. Cogitantes erga quod necessitatis est, hoc nostræ voluntatis esse faciamus. S. CHRYS., hom. LXV, ad *Popul.*

Tolle charitati patientiam, et desolata non durat. Tolle patiendi et tolerandi substantiam, et nullis radicibus et viribus perseverat. S. CYPR., de *Perfec. Vit. Christ.* c. xx.

Nemo sibi promittat, quod Evangelium non promittit. Fratres mei, obsecro vos, attendite Scripturas nostras, si aliquid seefellerunt, et si aliquid dixerunt, et aliter accidit, quam dixerunt. Non promittunt nobis Scripturæ nostræ in hoc sæculo, nisi tribulationes, pressuras, angustias, tormenta, dolores, abundantiam tentationum. Ad ista nos præcipue paremus, nec imparati deficiamus. S. AUG., in *Ps.* xx.

Universum vitæ nostræ tempus quædam est vigilia solemnitatis æternæ. Vigilia utique non est tempus deliciarum, sed fletus. S. LAUR. JUST., in *Ligno Vit.* l. III.

Nullus athleta generosus in stadio balnea querit, aut mensam cibus et vino redundantem. Hoc non est athleta, sed delicatus: athleta namque pugnat pulvere, oleo, solis, ardore, sudore longo, tribulatione, et angustia. Hoc est certaminis tempus et pugna,

igitur, et vulnerum, et cruoris, et doloris. S. CHRYS., hom. LXVII, ad *Pop.*

Nullus reperitur ab ipso mundi exordio palmas verus, qui non tribulatione purgatus sit. Purgari non valet, nisi mundetur prius. Mundatur aqua baptismatis, tribulatione purgatur. S. LAUR., JUST., *Fasc. am.* c. VIII.

Quid dicis, o homo, quid agis? cælum paras ascendere, et regnum cœli invadere et interrogas, ne quæ tibi difficultas occurrat in itinere, ne quid asperum tibi in via accidat aut laboriosum, et non erubescis? non pudore oppressus sub terra temetipsum defodis? quidquid agas, ad cælum non evades, nisi probe contusus. S. CHRYS., in *Ps.* xxv.

Nemo sibi dicat: fuerunt tribulationes apud Patros nostros, apud nos non sunt. Si putas te nondum habere tribulationes, nondum cœpisti esse Christianus. Et ubi est vox Apostoli: Omnes qui pie volunt vivere in Christo, persecutionem patientur. Si ergo non pateris pro Christo ullam tribulationem, vide, ne nondum cœperis in Christo pie vivere. S. AUG., in *Ps.* LV.

Nullus perfectus est, qui inter proximorum mala patiens non est; qui enim aliena mala æquanimitè non tolerat, ipse sibi per impatientiam testis est, quia a boni plenitudine longe distat. S. GREG., l. XX, *Mor.* c. XI.

Ideò possessio animæ in virtute patientiæ ponitur, quia radix omnium, custosque virtutum, patientia est. Per patientiam vero possidemus animas nostras, qui cum nobis ipsis dominari discimus, hoc ipsum incipimus possidere, quod sumus. Sic enim conditi mirabiliter sumus, ut ratio animam, et anima possideat corpus; jus vero animæ a corporis possessione repellitur, si non prius anima a ratione possidetur. Custodem igitur conditionis vestræ patientiam Dominus monstravit, qui in ipsa nos possidere nosmetipsos docuit. VEN. REDA, t. VII, hom. II.

Terra bona fructum pro patientia reddit, quia scilicet nulla sunt bona, quæ agimus, si non æquanimitè proximorum mala toleramus. Quanto enim quisque altius profecerit, tanto in mundo invenit, quod durius portet, quia cum præsentis sæculi mentis nostræ dilectio deficit, ejusdem sæculi adversitas crescit. Hinc est enim, quod plerisque cernimus bona agere, et tamen sed gravi tribulationum fascie desudare;

terrena namque desideria fugiunt, et tamen flagellis gravioribus fatigantur; sed juxta vocem Domini, fructus pro patientia reddunt, quia nimis humiliter flagella suscipiunt; sic uva calcibus tunditur, et in vini saporem liquatur; sic oliva contritionibus expressa, amaritudinem suam deserit, et in olei liquorem pinguescit; sic per trituram aræ a plebs grana separantur, et ad horreum purgata perveniunt. S. BERNARDINUS, t. III, f. 6, art. 3, c. IV.

ÆQUITAS. — Patientia tolerabiliora reddit præsentis vitæ incommoda, quia adversitas, quando cum impatientia est, triplex incommodum dat. Extrinsecus homo affligitur, et intrinsecus pro impatientiam amaricitur, et insuper mala conscientia rodit mentem pro reatu culpæ. S. BONAV., l. II, de *Perf. rel.*, c. XXXVI.

Dominus ait: « In patientia vestra possidebitis animas vestras: » non ait, villas vestras, laudes vestras, luxurias vestras, sed animas vestras. Si ergo tanta suffert anima, ut possideat, unde precat, quanta debet sufferre, ne pereat? Deinde ut illud dicam, quod culpabile non est; si tanta suffert pro salute carnis suæ, inter manus secantium sive urentium medicorum, quanta debet sufferre inter furores quorumlibet inimicorum, cum medicis, ne corpus moriatur, per pœnas corpori consulant, inimici autem pœnas et mortem corporis comminando, ut anima et corpus in gehenna excidatur, impellant, quamquam et ipsi corpori tunc providentius consulatur, si temporalis salus pro justitia contemnatur, et pœna vel mors ejus patientissime pro justitia sufferatur. S. AUG., l. de *Patient.*

Ordinata est Dei providentia, quæ prius per flagella homines hic emendat, et post eos ab æterno supplicio liberat, nequaquam enim delinquentibus parci Deo, quoniam peccatores aut hic ad emendationem ferit, aut in æterno judicio æternaliter puniendum relinquit. S. ISIDOR., lib. de *Synonym.*

Invenimus Patriarchas et Prophetas, et justos omnes, qui figuram Christi imagine præcipientem portabant, nihil magis custodisse in laude virtutum suarum, quam quod patientiam forti et stabili æquanimitate tenerunt. Tot Prophete interfecti, tot Martyres gloriosis mortibus honorati, omnes ad cœlestes coronas patientiæ laude venerunt. S. CYPR., in lib. de *Bono patient.*

UTILITAS. — Nihil unquam quantumvis

parvum pro Dei honore patimur, quin longe nobis sit utilis, quam si totius mundi dominio potiremur. Quamlibet enim exiguum sit, ad Dei perpetuam gloriam, pro illo tamen non minus Deus retribuet nobis, restituetque quam seipsum. BLOSUS, in *Sacel. animæ*, c. xii.

Patientia est mercatrix prudentissima, quæ mirabiliter, et copiose magnis meritis animam locupletat, nec mirum; quia multam et magnam invenit in mundo materiam spirituales divitias acquirendi, omnes adversitates, tribulationes, desolationes, injurias et contumelias. Item fames, sitis, æstus, frigora, infirmitates, et mors, sunt nobis materia merendi, et merita cumulandi. BELLOV., *Spe. mor.*, lib. I, dist. 38.

Patientia naturam habet patientia, ut eam nec arma mota, nec arma mota, nec instructi exercitus, nec adhibita tormenta, nec arcus, nec lanceæ emissæ, nec ipsum dæmonum agmen, nec terrificæ adversariarum potestatum phalanges, nec denique diabolus ipse cum omnibus copiis suis, machinisque in aciem prodiens, detrimento ullo afficere possit. S. CHRYS., ep. vii.

B. Job quot voces patientiæ in laudem Dei percussus reddidit, quasi tot in adversarii pectore jacula intorsit, et acriora multo, quam sustinuit, inflexit. S. GREGOR., in *Mor.*

Est patientia scutum inexpugnabile, turris firma, magna omnia repellens: et quem admodum in abyssum maris scintilla delata huic quidem nihil obest, ipsa vero extinguitur, sic in animum tolerantem, quidquid incidere maximarum etiam rerum potest, facile quidem absimitur ipsum, ille conturbabitur prorsus nihil. Quanto rebus omnibus solidior patientia est. S. CHRYS., h. xxxiv, in I *ad Cor.*

Ipsa tibi vox plebeia persuadet, probrum et contumeliam lavacrum esse vitiorum animæ. Solent enim seculares, cum aliquem in faciem ignominis et contumelias respererint, gloriantes ad alios dicere: Lavi illum quod profecto verum est. S. CLM., *Gr. vii.*

Non enim virtutes possunt esse virtutes, nisi rerum disciplinarumque conversionem quasi quædam sollicita mater patientia custodiret. ZENO VER., hom. xxvi, de *Patient.*

Semper lignum crucis vitam germinat, balsamum sudat spiritualium charismatum. Non est sylvestris arbor, lignum vitæ est apprehendentibus eam. Arbor frugifera,

arbor salutaris est. S. BERN., s. I, de *S. And.*

Non invenio, Fratres, inter cælestis disciplinæ vias, quibus ad consequenda divinitus spei ac fidei nostræ sarta dirigitur, quid sit utilius, quam ut patientiam tota observatione tueamur. S. CYPR., de *Bono patient.*

Quanto graviora mala intulerit inimicus, tanto majoribus afficit beneficiis. Quod enim alii jejuniis, lacrimis, precibus, sacco, cinere, ac diversis pœnitentiæ austeritatibus vix perficiunt, ut nimirum sua peccata delectant, hoc nobis sine sacco, et cinere, ac jejuniis facile licet præstare, si modo ex animo iram deleamus, et sicque, qui nos læserint sincere dimittamus. S. CHRYS., s. in Verba, *Si esurierit.*

Certa atque secunda est expectatio futura beatitudinis, ubi est participatio dominicæ passionis. S. LEO., lxx, de *Quadr.*

En deses equus scutica excitatur: en vestis a pulveribus inter verbera purgatur: en arbor percussa copiosorem nucum segetem proferre solet: haud sane dissimili modo, et nos ad frugem erudimur verberibus. Plagæ jubent sapere, et quæ nocent, docent, gaudeat ergo Christianus in adversis, quia aut probatur, si justus est aut si peccator est, emendatur. Timeat, quem Deus corrigere non vult in sæculo, quia eum supplicio destinavit post sæculum. S. AUG., s. xx, in *appendic.*

DIGNITAS. — Magna virtus est, si non lædas, a quo læsus es: magna gloria, si cui nocere potuisti, pareas. Nobile vindictæ genus est, ignoscere victis. HUGO, l. III, de *Anim.*

Virtus animi, quæ patientia dicitur, tam magnum Dei donum est, ut etiam ipsius, qui nobis eam largitur, patientia prædicetur. S. AUG., in I *de Pat.*

Nullus perfectus est, qui inter mala proximorum patiens non est. Qui enim æquanimiter aliena mala non tolerat, ipse sibi per impatientiam testis est, quia omni plenitudine longe distat. Abel quippe renuit esse, quem Cain malitia non exercet. S. GREG., in *Moral.*

Quando Deus dat alicui, ut mortuos suscitaret, minus dat quam cum dat donum patienti. Pro miraculis enim debitor sum Deo, at pro patientia debitorum habeo Christum. O rem admirandam! et donat mihi, et super hoc debet ipse mihi. S. CHRYS., in *Ep. ad Philip.*

Gloriatio Ecclesiæ Catholicæ est omnis Christi actio: Gloriatio vero gloriationum est eruci. S. CYRILL., *Catech.* 13.

Tentationis et probationis causa aliquid pati, rarorum admodum hominum est, et Abraham similitum. S. BASIL., *Mon.* c. xxxv.

Examina diligentius eos, qui fuerunt nominatissimi, videbis omnes primo adversitatibus probatos, ita demum divina familiaritate dignos habitos fuisse, maximamque ad eum habuisse confidentiam. S. CHRYS., l. II, de *Prov.*

Eos, qui sibi intentius ac devotius obtemperant, veluti fortissimos athletas, hujusmodi laboribus exercet. IDEM, l. I, de *Prov.*

Nihil est æque præclarum, atque vincula propter Deum. Vincitum esse propter Christum, præclarior est, quam esse apostolum, quam esse Doctorem, quam esse Evangelistam. Si quis amat Christum, novit, quod dicitur. Si quis Deum insanit, et ejus amore uritur, novit vim vinculorum. Maluerit esse vincitus propter Christum, quam habitare caelos. IDEM, hom. viii, in *Epist. ad Ephes.*

Etiamsi res (pati) nullam aliam haberet mercedem, hoc solum est magna merces, et sufficiens remuneratio, gravia pati propter Deum, qui amat. Sciunt, quod dicitur, qui amant. IDEM.

Si quis mihi daret totum cælum, aut Pauli catenam, ego illam præferrem. Si quis me apud Superos collocaret cum Angelis aut cum Paulo vincito, eligerem carcerem, et vincula. Nihil est melius, quam mala pati propter Christum. Non tam beatum existimo Paulum, quod raptus sit in tertium cælum, quam eum censeo beatum propter vincula. Mihi est optabilius, male pati pro Christo, quam honorari pro Christo. Hoc est gloria, quæ omnia exuperat. IDEM.

Qui putantur crucem portare, sic portant, ut plus habeant in crucis nomine dignitatis, quam in passione supplicii. S. LAUR. JUST., l. III, de *Guber. Dei.*

Perfectæ charitatis est argumentum notissimum, in adversis fiduciam non amittere: et virtutes uniformiter semper operari, atque sub Dei disciplina eodem animo eodemque vultu perseverare. IDEM., de *Discipl.*, c. xviii.

Duplex patientiam manet victoria, hominem vicisse proprios animorum motus, et temperasse motus alienos. S. VALER., l. de *Bono cons. pæ.*

Homo patiens Rex dicitur, quia habet re-

gale dominium in omnibus, nam patienti servantur omnia, quæ aliis sunt nociva, ut sterilitas agrorum, quæ implet sibi cellarium hostes fabricant sibi coronam; vepres parant ei medicinam; mors aperit sibi carcerem ad evadendum miseriam; ignis, qui domos incendit aliis, sibi confert pabulum, vel constituit in cælis palatium: et sic verificatur illud Apostoli: « Seimus, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. » S. BONAUV., in *Diet.*, tit. VII, c. VII.

Joannes nequaquam martyrio vitam finivit, sed tamen Martyr exiit, quia passionem, quam non suscepit in corpore; servavit in mente; et nos ergo, hoc exemplo, sine ferro esse possumus martyres, si patientiam veraciter in animo custodimus. S. GREG., hom. xxxv, in *Ev.*

Hæc nostræ christianitatis summa est, ut amantibus vicissitudinem, lædentibus patientiam rependamus; qui ergo fuerit patientiam ad injuriam, potentior constituetur in regno. S. MAX., hom. de *S. Mich. rel.*

Non respondeas, tamquam surdus; colligit enim in sinu patientiæ contumelias quasi lapides pretiosos, quibus ornabitur corona sua, de qua sancta canit Ecclesia: « Corona aurea super caput ejus, expressa signo sanctitatis, gloria honoris, et opus fortitudinis. » HUGO CAI.

Etsi miracula facias, et mortuos excites, et quidvis agas; numquam te adeo admirabuntur gentes, ut, quando te viderint moribus mitibus, placidis, et jucundis. S. CHRYS., hom. xxxiii, in *Ep. I ad Corinth.*

Rerum omnium regina patientia, Scio, quia libentius in tuis moribus, tuis fundamentis, tuisque consiliis, quam in alienis, nudisque sermonibus conquiescis; neque tantam in multiplicandis virtutibus laudem ponis, quantum in finiendis. Tu virginitati præstas, ne flos ejus ullo morbo, ullo tempore deflorescat. Tu variarum semper in tempestatum crebris turbinibus constituta, fidissimus miserandæ viduitatis es portus. Tu sanctissimo conjugali jugo rudi cervicis subeuntis innisum laboris, vel amoris æquali retiaculis blandis, quasi quidam peritus aura componis. Tu amicitiam, idem velle, atque idem nolle docuisti. Tu servituti unica ac fortissima consolatio sæpe libertatem paris. Tu paupertati præstas ut habeat totum sui contenta, cum sustinet totum. Tu Prophetas provexisti; Christo tu Apostolos glu-

tinasti; Tu quotidiana martyrum mater es, et corona. Tu murus fidei, fructus spei, amica caritatis. ZENO, *s. de Pat.*

Patientia sola est omnium virtutum probativa, quia dicit Gregorius: Qualis uniusquisque apud se lateat, illata contumelia probat. S. BON., s. III, *de Ap.*

JUCUNDITAS. — Nec sudantibus, et laborantibus possunt alia magis, quam patientia subvenire solatia. S. CYPR., *de Bono pat.*

Prorsus ei, qui se Deo perfecte resignavit afflictio dulcis est, quia in Deo, per quem illa ipsi evenit, conditur, et divina fit, et deformis. Cum talis nihil quaerat, nihil diligat, nec quicquam illi sapiat, nisi Deus, ita hunc in amaris atque contrariis capit, sicut in summa dulcedine; neque enim fieri potest, ut aliquis pro Dei gloria quicquam sustineat, quin in eo saporem quemdam Divinitatis percipiat. BLOSIVS, in *Sacello an.*, c. XI, n. 4.

Amara facit dulcia, aspera suavia, gratia levia; patientes enim ad modum piscium marinorum inundationes maris quasi lac sugunt, ut legitur Deuter. BELLOV., *Spec. mor.*, l. I, dist. 88.

Si jejunamus, perinde exultemus, ac si in luxu versaremur; si contumelias accipimus, non secus tripudiamus, ac si laudes nostræ prædicarentur. Si corpus abstinentia emaciamus, si carnem cilicio cicuramus, abstinentiam, et cilicium tanta voluntate ferre debemus, quanta voluptate perfunderemur, si gratissimis lautissimis vesceremur, aut vestiremur bysso, et indueremur purpura. Si famæ nostræ macula inuritur, si existimatio nostra probrorum vel convitiolorum tenebris obnubilatur, ea tam avidis auribus excipere debemus, quam admitteremus verba Ciceronis, nos in publico theatro pro frequenti concione magnifice dilaudantis, et in cœlum efferentis. Hæc enim est sincerissima tolerantia, hæc integerrima patientia, si non æquanimitè tantum, sed etiam lætanter, et summa cum voluntate feramus ærumnas omnes, et adversitates, et sic gaudeamus pœnis in inculta ignominiarum eremo, ac si essent gloriæ in amœno, et delicioso applausus horto. DM. NISS., in *Phœn.*, l. VII, c. IV.

Si sponsam dulcis sponsus invitat ad penas, ad amaritudines, ac gelidam persecutionum hyemem, quomodo dicit, ut ad amœnam horti stationem, et suavem ejus temperiem apricamque mansionem veniat?

«Veni in hortum meum:» Respondet Gilbertus: Quod sponsa invitata fuit ad hortum, et quod vocat ad tolerandas passiones, hæc idem sunt. Quod illi propinatus calix penarum, perinde est, ac si ad gloriam vocata fuisset. Quod illi persecutione oblata, tantumdem est, quantum quod invitata fuit ad hortum. Nam qui sunt maxime sinceri servi Dei, qui illius patiendi veram, integerrimamque cupiditatem imitari prorsum student, non solum magna voluntate excipiunt labores, et ferunt persecutiones, sed etiam inter virentia horti amœna versari æstimant, cum adversa tolerant, eodemque loco habent subjaceret infirmitatibus, et morari in gratis viridarii deliciis. Itaque sponsa, dum in craticula erat, et inter aculeas probrorum spinas, non secus ac intra viridantes arbores degebat, amarque myrrha illi nectare, vel saccharo dulcior erat. *Idem.*

Hoc absque dubio docere voluit cœlestis Magister, quando nos exhortatus fuit ad excipiendam humeris nostris Crucem Evangelicam, ita inquit: «Qui vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me;» Luc. c. IX, § 32. Doctus Pater Didacus Stella pressit ista, «Tollat crucem suam,» et sic dicit: Expende, quod non dicit: ferat, sed tollat. Ponit differentiam Basilius inter ferre crucem, et tollere, quia ferre crucem, est labores a Deo delatos vel æquo, vel iniquo animo ferre; sed tollere, est animo læto, et avido non solum accipere, sed rapere crucem libenter et gratanter. Qui ergo monuit crucem tollere, voluit, ut eam amanter et benevolenter amplecteremur, et avidis manibus cupide rapere, promptisque humeris, et sereno vultu exciperemus; hoc enim est inclytissimum, insignitissimumque, et maxime heroicam patientiæ faciendum, rapere crucem libenter et gratanter. Id nobis consulit acerrimus noster defensor, et illustris pugil in sua Catholica Epistola dicens: «Omne gaudium existimate, fratres mei, cum in varias tentationes inciditis.» JACOB, t. 2, velut dixisset: Hanc supremam animi voluptatem reputate, cum tentationibus vexari contigerit, cum ærumnarum pro Dei honore tolerandarum occasiones sese obtulerint. Gilbertus, serm. XXXII in *Cant* monet advertere, quod Apostolus non dixit: omnem: omnem patientiam existimate: sed omne gaudium. Quamobrem istud?

quia minus est, quod dolore excluditur, quam quod lætitia suadetur, inquit venerabilis ille Pater. Patientia in adversis, fugat ex animo Christiani, et excludit dolorem et cruciatum, quem tormenta, persecutiones, calumniæ illi adferre possunt. Verum ad eum modum non videtur homo pervenire in illam celsitudinem gaudii et exultationis inter ærumnarum tolerantiam. Dicit ergo nunc Apostolus, cum in plures diversasque miseras prolapsi fueritis, omne gaudium existimate, quia non solum volo vos patientes, sed etiam hilares et lætabundos, quia opto vobis, quod præcipuum, quod præstantissimum patientia habere potest, ut non solum volentes, verum etiam gaudentes feratis ærumnas. *Idem.*

Si ignominia affectus fueris, gaude: si injuste, merces tua copiosa erit: si vero justo, et respueris, jam liberatus es a flagello. S. NILES PARAN., n. 422.

Utriusque lætitiæ ingens est causa, et persecutus esse pro Christo, et conformari Christo. De persecutione quidem merces, et de conformitate provenit honor. Mollescet utique dolor, et amaritudo dulcescet, si mediatoris passionibus coaptetur. S. LAUR. JUST., *Fas. an.*, c. XI.

Una dumtaxat res molesta est, nempe peccatum: reliqua omnia pulveris instar et fumi sunt. Quæ molestia, calamitatibus premi, cum calamitas tantarum opum causa sit? Quæ molestia, honorum proscriptio? Mera verba hæc sunt, rerum acerbitate vacua, verba mœroris expertia. Nam sive mortem dixeris, naturæ debitum dicis, quod quidem omnibus subeundum est, etsi a nemine inferatur. Sive exilium dixeris, nihil aliud dicis, quam regionum ac multarum civitatum prospectum: sive honorum proscriptionem dixeris, libertatem dicis, ac solum et expeditum esse. S. CHRYS., *ep. xiv, ad Olymp.*

Si lætitiæ cupis, non pecunias, non corporis sanitatem, non gloriam, non potentiam, non delicias, non lautas mensas, non feriarum vestium amictum quaeris; noli pretiosos agros, domosve splendidas et illustres, aut aliud hujusmodi quidquam sectari, sed Philosophiam, quæ est secundum Deum, tracta, et apprehende virtutem, et nihil eorum, quæ sunt, aut expectantur, te poterit contristare. Quid dico contristare? additio nempe tibi fient voluptates, quæ alios contristant. Etenim flagella, et mortes, et mul-

ctæ, et accusationes, et male pati, et omnia talia, quando propter Deum inferuntur, et hæc habent radicem, multam nobis afferunt voluptatem. Nos miseros facere poterit nemo, nisi nosmetipsum faciamus, sicut scilicet nec beatos, nisi nos efficiamus cum Dei gratia. *Idem.*, hom. XVIII, *ad Popul. Antioch.*

In Domino gaudens hæc voluptate nunquam exicidere poterit; alia quippe cunctatim quibus gaudemus, mutabilia sunt, et transitu facilia; nec hoc solum, sed etiam apud nos manentia, nascentem ex aliis rebus tristitiam repellere non possunt. *Idem.*

Anima, quæ semel se modis omnibus, desiderio sui astrinxerit Conditoris, jamque insenit oblectare se tantæ illius pulchritudinis contemplatione, prorsus non sinet vehemens illud gaudium, animique sui jucundissimam effusionem intercipi aut imitari per multiplicem et succedaneam carnalium affectuum mutationem. Quia ea potius, quæ aliis mœrorem afferunt et tristitiam, in cumulum, sibi vertet, et accessione lætitiæ. S. BASIL., ap. STAPL., *them. 1, in Dom. 4 post. Pasc.*

EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

QUALITAS. — Non est verus patiens, qui non pati vult, nisi quantum sibi visum fuerit, et a quo sibi placerit. Verus autem patiens non attendit, a quo homine, utrum a Prelato suo, an ab aliquo æquali, aut inferiori; utrum a bono et sancto Viro, vel a perverso et indigno exerceatur. L. III, c. XIX, § 2.

Qui autem Jesum propter Jesum, et non propter suam consolationem aliquam diligunt, ipsum in omni tribulatione et angustia cordis, sicut in summa consolatione benedicunt. L. II, c. II, § 2.

O quam multas et graves tribulationes passi sunt Apostoli, Martyres, Confessores, Virgines, et reliqui omnes, qui Christi vestigia sunt secuti; nam animas suas in hoc mundo oderunt, ut æternam vitam possiderent. L. I, c. II, § 2.

NECESSITAS. — Necessè est, te ubique habere patientiam, si internam vis habere pacem, et perpetuam promereri coronam. L. II, c. XII, § 4.

Dispone et ordina omnia secundum tuum velle et videre, et non invenies, nisi semper

aliquid pati debere aut sponte, aut invite, et ita crucem semper invenies. Aut enim in corpore dolorem senties, aut in anima spiritus tribulationem sustinebis. Interdum a Deo relinqueris, et interdum a proximo exercitaberis, et quod amplius est, sæpe tibi metipsum gravis eris, nec tamen aliquo remedio vel solatio liberari, seu alleviari poteris, sed donec Deus voluerit, oportet, ut sustineas. *Id.*, § 3.

Crux semper parata est, et semper te expectat: non potes effugere, quocumque curreris, quia quocumque ieris, te ipsum tecum portas, et semper te ipsum invenies. Convertite te supra, convertite te infra, convertite te extra, convertite te intra, et in his omnibus invenies crucem. *Id.*, § 4.

Nemo aptus est ad comprehendendum cœlestia, nisi se submisserit ad portandum pro Christo adversa. *Id.*, § 14.

Ecce in cruce totum constat, et in moriendo totum jacet, et non est alia via ad vitam et ad veram internam pacem, nisi via sanctæ crucis et quotidianæ mortificationis. *Id.*, § 3.

Esto itaque expeditor ad pugnam, si vis habere victoriam. Sine certamine non potes pervenire ad patientiæ coronam. Si pati non vis, recusas coronari. Si autem coronari desideras, certa viriliter, sustine patienter. Sine labore non pervenitur ad requiem, nec sine pugna pervenitur ad victoriam. *L. III, c. XIX, § 4.*

ÆQUITAS. — Credis tu evadere, quod nullus mortalium potuit præterire? Quis Sanctorum in mundo sine cruce et tribulatione fuit? Nec enim Deus Christus Dominus noster una hora sine dolore passionis fuit, quando vixit. Et quomodo tu aliam viam quaeris, quam hanc regiam viam, quæ est via sanctæ crucis. *L. II, c. XVII, § 6.*

Intuere SS. Patrum vivida exempla, in quibus vera perfectio refulsit, et religio, et videbis, quam modicum sit, et pene nihil, quod nos agimus. Heu quid est vita nostra, si illis fuerit comparata? Sancti et amici Christi Domino servierunt in fame et siti, in frigore et nuditate, in labore et fatigatione, in vigiliis et jejuniis, in orationibus et meditationibus, in persecutionibus et opprobriis multis. Cessa conqueri considerata mea et aliorum Sanctorum passione. Nondum usque ad sanguinem restitisti. Parum est, quod tu pateris in comparatione eorum, qui tam multa passi sunt, tam fortiter ten-

tati, tam graviter tribulati et exercitati. Oportet te igitur aliorum graviora ad mentem reducere, ut levius feras tua minima. *L. I, c. XVII, § 1.*

Merito deberes libenter modicum pati pro Christo, cum multi majora patiantur pro mundo. *L. II, c. XIII, § 13.*

Si dixeris, te non posse multa pati, quomodo tunc sustinebis ignem purgatorii? de duobus malis minus est eligendum. Ut ergo æterna futura supplicia possis evadere, mala præsentia studeas pro Deo æquanimiter tolerare. *L. III, c. XII, § 2.*

UTILITAS. — Nihil Deo acceptius, nihil tibi salubrius in mundo isto, quam libenter pati pro Christo. Si quidem aliquid melius et utilius salutis hominum fuisset, Christus utique verbo et exemplo docuisset. *L. III, c. XII, §§ 14, 15.*

Quandiu pati tibi grave est, et fugere quaeris, tandiu male habebis, et sequetur te ubique fuga tribulationis. Si ponis te, ad quod esse debes, videlicet ad moriendum et patiendum, fiet cito melius, et pacem invenies. *Id.*, §§ 11, 12.

Qui modo libenter audiunt et sequuntur verbum crucis, tunc non timebunt ab auditione æternæ damnationis. Hoc signum crucis erit in celo, cum Dominus ad iudicandum venerit. Tunc omnes servi crucis, qui se Christo conformaverunt in vita, accedent ad Christum cum magna fiducia. *Id.*, § 1.

Quid igitur times tollere crucem, per quam itur ad regnum? In cruce salus, in cruce vita, in cruce protectio ab hostibus, in cruce infusio supernæ suavitatis, in cruce robor mentis, in cruce gaudium spiritus, in cruce summa virtutis, in cruce perfectio sanctitatis. Non est salus animæ, nec spes æternæ vitæ, nisi in cruce. Tolle ergo crucem tuam, et sequere Jesum, et ibis in vitam æternam. *Id.*, § 2.

DIGNITAS. — Utinam dignus esses aliquid pro nomine Jesu pati, quam magna gloria remaneret tibi! Quanta exultatio omnibus Sanctis Dei! Quanta quoque ædificatio esset proximis! Nam patientiam omnes recommendant, quamvis pauci tamen pati velint. *Id.*, § 13.

Si eligendum tibi esset, magis optare deberes pro Christo adversa pati, quam multis consolationibus recreari, quia Christo similior esses, et omnibus Sanctis conformior; non enim stat meritum nostrum, et profectus status nostri in suavitatibus et

consolationibus, sed potius in magnis gravitatibus et tribulationibus perferendis.

Qui melius scit pati, majorem tenebit pacem. Iste est victor sui, et Dominus mundi, amicus Christi, et hæres cœli. *L. I, c. III, § 3.*

JUCUNDITAS. — Quis est, qui melius habet? Utique qui pro Deo aliquid pati valet. *L. II, c. XXII, § 1.*

Quanto altius quis in spiritu profecerit, tanto graviore sæpe cruce invenit, quia ex illi sui poena magis ex amore crescit. Sed tamen iste sic multipliciter affectus non est sine levamine consolationis, quia fructum maximum sentit accrescere ex sufferentia suæ crucis. Nam dum sponte se illi subjicit, omne onus tribulationis in fiduciam divinæ consolationis convertitur. *L. II, c. XII, § 8.*

Quando ad hoc veneris, quod tibi tribulatio dulcis est, et sapit pro Christo, tunc bene tecum esse existima, quia invenisti Paradisum in terra. *Id.*, § 11.

Fili, non te frangant labores, quos assumpsisti propter me, nec tribulationes te dejiciant usquequaque, sed mea promissio te in omni eventu roboret et consoletur. Ego sufficiens sum ad reddendum supra omnem modum et mensuram. *L. III, c. XLVII, § 1.*

EXEMPLA CATHOLICA EXTERNA.

QUALITAS. — Christus quondam viro sancto apparens dixit, se tantum patiendi desiderium habere, ut etiamnum ad dexteram Patris residens, animas quaerit pias atque benevolas, quæ sua ei corpora velut commodo donent, ut ipse in eis multa pati, et desiderium glorificandi Patrem suum per crucem amore plenam continuare possit.

Sanctus Job petebat a Deo: Quis det, ut veniat, petitio mea, et quod exspecto, tribuat mihi Deus? et qui cepit, ipse me contemnat, solvat manum suam, et succidat me. Et hæc mihi sit consolatio, ut affligens me dolore non parcat. *Job. x. 24.*

Sanctus Paulus de se ipso fatetur: Propter quod placeo mihi in infirmitatibus, in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis in Christo. Cum enim infirmor, tunc potens sum. Libenter igitur

gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi.

S. Andreas conspecta cruce, cui affligendus erat, exclamavit: O bona crux, diu desiderata, sollicitè amata, sine intermissione quesita, et jam concupiscenti animo præparata, securus et gaudens venio ad te; suscipe me ab hominibus, et redde me Magistro meo, ut per te me recipiat, qui per te me redemit. *SURIUS, in Vita, 30 nov.*

S. Chrysostomus tanto ardebat patienti desiderio, ut diceret: Si quis mihi dixisset: elige, utrum velis: Vis esse Angelus Petrum stimulans ac solvens, an Petrus servatus in vinculis? Petrus utique maluissem, propter quem Angelus descendit. Vinculis istis potiri licuisset. *LUCIUS, in Azioni., III, l. I.*

S. Catharina Senensis, oblata a Christo corona aurea et spinea, hanc elegit, atque ab eo tempore adeo delectata est afflictionibus, ut nihil ei in hac vita tantum solati et refrigerii afferret, quantum afflictiones et cruce; sine quibus, ut ipsa aiebat, vita hæc ei molesta foret; propter eas autem libenter ferret beatitudinis dilationem, non ignorans, illam afflictionibus non parum augeri. *SUR., 29 apr., c. XXV, Vit.* Hinc feminam cancro laborantem, et horridam sui infamatricem, nunquam domo, etsi ad id urgeretur a matre, expellere voluit, sed omnia ei obsequia instar ancillæ promptissime exhibuit. *L. I, Vit., c. VII.*

De S. Gertrudis patientia, Christus ipse testimonium tulit, dum virgini cuidam devotæ dixit: Tanta hujus animæ delectatione afflictor, ut sæpenumero, dum ab iis hominibus offendor, me ipsum in ea quieturam insinuem, atque pressuram cordis, affluam molestiam eidem tunc temporis destinem, quam dum tanta, ut solet gratiarum actione suscipit, tanta suffert humilitate ac patientia, tanta denique devotione, in unione passionis meæ mihi offert, omnino me reddi placatum, facitque, ut innumeris sæpe hominibus ejus amore parcam. *Vit., l. I, c. IV.*

S. Theresiæ quondam Christus apparuit, dicens: Ille Patri meo cœlesti omnium est gratissimus, qui quam plurimis, maximisque afflictionibus exercetur. Et vide, filia mea, vide, et animo tuo perpende vulnera mea, et fateri, quam nulli tui dolores cum meis vel conferri possint. A quo tempore tantum illa desiderium patienti concepit,

ut semper dicere solet: « Aut pati, aut mori, » fatereturque, se afflictiones cum omnibus mundi thesauris non commutaturam. *Vit.*, l. IV, c. xvii. Hinc octodecim sibi spinas eligebat, quibus assiduo amore sponsi vellicaretur; nempe sex exteriores, puta dolores et fatigationes corporis, famem et sitim, frigus et calorem, paupertatem sive inopiam, injurias et decora, persecutiones et minas. Sex interiores, scilicet tristitiam, timorem, scrupulos, tentationes, passiones vehementes, spiritus blasphemias. Sex divinas, videlicet impetum amoris, deliquium amoris, ignem accendentem cor, horrorem et nauseam rerum creaturarum, zelum faninarum atque honoris Dei. Ob quæ omnia post mortem visa est, quasi de sepulcro exire cum cruce pulchra, et elegantia arte facta, velut symbolo patientiæ. *LYRÆUS, Axiom., S. Ign.* Alias vero non nemini conspecta dicebat, se in cælo pro nulla alia re tantum præmii accipere, quanta pro molestiis, quas perpessa fuerat, dum inter mortales degeret, et si quid esset causæ, ob quam desideraret in terras redire, id se non alia causa desideraturam, quam pati posset. *NADASI, in Hebd. eter.* xlv. Hinc prædixit mercatori, qui petierat illius precibus commendari, in terris adhuc existens rescripsit: Domine, cum intellexerim, quantum tu meas sorores juves, desideresque meis vicissim precibus juvari, quanta potui, animi mei contentione id feci. Quare scire te velim, cælitus cognovisse me, nomen tuum scriptum esse in libro vite. In signum autem, quod tibi vera scribam, scias ab hac hora, qua litteras has accipies, nihil in hac vita prospere tibi successurum. Et ita evenit, nam exiguo post tempore ob navium jacturam foro cedere coactus fuit. Quod cum amici rescivissent, fortem ejus miserati, suis cum pecuniis juverunt, ut de novo fortunam tentaret; sed cum altera vice res ei male successisset, acceptis secum rationum libris, carcerem sponte ingressus est, et vinculis se tradidit, quod mercatores intelligentes, cognita viri probitate, noluerunt illi molestiam ciere. Pauper itaque et rebus suis exutus, solo Deo contentus finivit vitam. *LYRÆUS, l. c.*

B. Maria Magdalena de Pazzi dicere solebat, non desiderare se brevem vitam aut celerem mortem, cum in cælis nulla sit cruciatum perpessio; desidero, inquit, vivere diu, quia desidero, amore sponsi ac

Domini mei diu pati, non tantum breve aliquod martyrium, sed et morborum examina, calumnias, infortunia, et quæcumque in me assurgere possunt adversa. *LYRÆUS, l. c.*

S. Catharina Genuensis inter extremos et acerbissimos dolores dicebat: Sunt anni sex supra triginta, ex quo amor me illuminasti: ab illo tempore nihil desideravi, nisi pati intus et foris. *Vita, c. l.*

S. Philippus Nerius per triginta annos multa in domicilio S. Hieronymi a quibusdam domesticis perpessus, nunquam adduci potuit, ut ad domicilium Patrum Congregationis Oratorii a se fundati transiret, donec auctoritate summi Pontificis ad hoc coactus est. *Vit.*, l. I, c. xviii.

Quidam senex in morte apprehendens manum fratris, victum sibi furantis dixit: Gratias ago manibus istis, quia per illas arbitrator me, nunc in regnum celorum intraturum. *Vita PP.*, l. III, n. 74.

B. Elisabetha Regia stirpe oriunda, Thuringiæ Principis uxor, defuncto conjugio, cognatis Provinciam occupantibus, cum liberis ejecta, inops, vaga, exul, ærumnis omnibus pressa, ab iis etiam, in quos olim beneficia fuerat, deserta et contempta, tam constanti animo omnia sustinuit, ut eo ipso tempore, et in hac mendicitate hymnum ambrosianum cantari a Franciscanis volebat. *DREXEL., in Rosis, p. II, c. v, § 6.*

Religiosa quædam femina cum patientiæ exercendæ causa viduam alendam a S. Athanasio petisset, eamque mitem admodum, ac tractabilem obtinisset, aliam sibi asperiores assignari petiit, a qua cum pessime tractata, mille molestias perpessa fuisset, hanc tandem sibi optatam dixit, ideoque S. Athanasio pro ejus assignatione summas gratias egit. *Prat. Sp.*, c. cvii.

QUALITAS PATIENTIÆ IN DAMNIS RERUM TEMPORALIUM. — S. Job cum omnibus suis fortunis spoliatus liberorum etiam subita et miserabili morte oppressorum nuntium accepisset, nihil his commotus, in has, credo, dignissimas voces erupit: Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est; sit nomen Domini benedictum. *JOB, c. i, 21.*

Sanctus Eustachius Dux exercitus Trajani Imperatoris, per pestem quidem omnibus servis et ancillis, per serpentem vero gregibus suis universis spoliatus, dum in Ægyptum abire parat cum uxore et liberis,

etiam hanc in portu amisit; postea dum fluvium cum filiorum altero trajicere parat, alterum a leone abreptum, et dum hinc quoque succurrere conatur etiam priorem a lupo dentibus ablatum videns, omnia cum summa animi æquitate ac constantia tolerans, diu manuum labore victitavit, donec post aliquot annos omnia recuperare meruit. *SUR., 21 nov.*

S. Joannes Eleemosynarius cum tredecim naves mille et tercentas auri libras continentes naufragio periissent, nihil aliud dixit nisi aliud Jobi: Dominus dedit, Dominus abstulit: causamque infortunii suis peccatis adscripsit. *SUR., 28 jan.*

S. Stephanus cum quidam ex odio omnem messem in arca pro se et fratribus collectam igne subjecto destruxisset, nuntianti sibi tam tristem casum, placida mente respondit, sibi nihil mali accidisse, sed ei potius, qui id fecisset, se condolere, veniamque et gratiam a Deo ex animo precari. *S. GREG., l. IV, Dial., c. xix.*

S. Remigius, cum secuturam annonæ charitatem prævidens, ingentem frumenti copiam in pauperum subsidium collegisset, eamque malevoli aliquot igne absumpserunt, audito nuntio equum conscendit, et ut inimicorum insaniam compesceret, accurrebat. Sed cum omnia jam ardere videret, de equo descendit, et quia tum ob ætatem, tum ob frigus vespertinum frigebat non nihil, ad ignem se calefaciens tranquillo corde et ore dixit: Semper bonus est focus. *SUR., t. I, ap. Daurol., c. vii, tit. V.*

S. Bernardus Claravallensis Abbas cum ducenta argenti pondi sibi ad impensas construendi Monasterii missa, a grassatoribus intercepta fuissent, gratias Deo egit, quod magno se onere liberarint. *M. MARUL., l. V.*

QUALITAS PATIENTIÆ IN CONTEMPTU. — S. David a Michol uxore sua iritus et contemptus, quia quasi in modum scurræ coram arca Dei saltasset, patientissime id ferens dixit: Ludam, et vilior fiam plusquam factus sum, et ero humilis in oculis meis: et cum ancillis, de quibus locuta es, gloriosior apparebo. *II REG., vi, 22.* Convitiis vero a Semei appetitus, cum servi eum vindicare vellent, dixit: Dimitte eum, ut maledicat; Dominus enim præcepit ei, ut malediceret David, et quis est, qui audeat dicere, quare sic fecerit? *II REG., xvi, 10.*

Apostoli cæsi a Judæis, vetitique, ne lo-

querentur in nomine Jesu, ibant gaudentes a conspectu Concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati. *ACT. vi, 4.*

Quidam Frater erat, qui, quanto plus eum aliquis injuriabat, tanto magis ad eum recurrere dicebat: Isti sunt, qui nobis occasione præbent ad perfectionem nostram; qui autem beatificam nos, decipiunt nos, et semitam pedum nostrorum subvertunt. *Vit., PP., l. VII, c. vii, p. 4.*

Beatus Jacobus vir nobilis et litteratus rogatus a Christo apparente, cur stultitiam sic amaret, pia simplicitate respondit: Quia tu stultior me fuisti, Domine. *CONX., in epist. ad Cor., ser. cccxv.*

Joannes Crucius primus Carmelitarum excalceatorum parens, dum multis exhaustis laboribus, et ærumnis Segobiæ cum Deo familiaris loqueretur, seque ab eo interrogari pensiteret, quod præmium pro his laboribus peteret respondit: Domine, pati et contemni pro te. *LYRÆUS in apoph., II, l. I.*

S. Joannes Chrysostomus a Theophilo Alexandrino Episcopo adjuvo ab aliis triginta ex Episcopis ad Concilium Chalcedone coactum citatus ob falsas accusationes, inter quas erat, quod adversum clerum librum edidisset sycophantis et calumniis plenum, quod mulieres reciperet, solusque cum illis ageret, vitam cyclopiis turpiter ac voluptuose duceret, redditus Ecclesiæ in malos usus impenderet, blasphemias varias commiserit in Christum, populum seduxerit, et adversum Synodum concitavit, alienas Ecclesias invaserit, et similes, ob quas etiam S. Cyrillus cum Judæ Christi traditori compararet, et post mortem in Episcoporum Catholicorum album referri veterat, donec ab hac mente vitium cælesti abductus est, non semel damnatus et in exilium pulsus, et in eodem denique omnino mortuus, omnia admiranda constantia tulit. *LANCIZ., opusc. IX, n. 97.*

Sanctus Cyrillus Alexandrinus a Synodo quadraginta trium Episcoporum publico decreto, ut insignis iniquitatis auctor, et ecclesiasticorum sanctionum contemptu hæreticum se plenisimè professus, Episcopatu abdicatus, æquissimo animo sententiam accepit. *Ibid.*

S. Athanasius usque adeo contumelias et persecutionibus fuit obnoxius, ut de eo scribat Russinus in ejus persecutiones, uni-

versum orbem conjurasse, et commotos Principes terræ, gentes, regna, exercitus adversus ipsum coivisse, sed et Metaphrastes ait, omnem et locum fugam factum esse, quia usque adeo quærebatur, ut præmia propenerent, iis, qui ubicumque terrarum eum inventum indicassent; accusabatur autem de hæresi, magia, seditione concitata adulterio, ob quæ tandem omnino damnatus et in exilium pulsus est. *Ibid.*

S. Basilius Episcopus factus, a multis tanquam Hæreticus, et Hæreticorum consortio pollutus vitabatur, ideoque coactus fuit, nemini propemodum se crederet, omnesque pariter vereri. Imo et apud S. Damasum Papam ob ejusmodi accusationes parum graciosus effectus est, ita ut ne respondere quidem ad ejus epistolas dignaretur. *Ibid.*

S. Hieronymus de seipso scribit: Me scelerum quidam putant, et omnibus flagitiis obrutum. Ego probrosus, versipellis, et lubricus. Ego mendax et Satanae arte decipiens. Alius incessum meum calumniabatur, et risum. *Ibid.* Imo, teste Baronio, adeo frequens fuit turba in Hieronymum obloquentium et obtractantium, ut vix ediderit scriptum aliquod, in quo non opus fuerit prætexere apologiam, et in alios invecivam, quod ipse variis in locis, præcipue vero in præfatione in Michæam testatur. *An.* 395.

S. Franciscus a proprio Generali Fratre Elia tanquam turbator et destructor Ordinis habitus, maleque tractatus, immo et libris impressis infamatus est, quasi in adolescentia lascivie juvenilis ardoribus deditus multorum gravium peccatorum sordibus corpus animique maculasset. S. ANTON., *Spec.*, l. XXIX, c. xcviij.

S. Romualdus Fundator sui Ordinis accusatus ab impuro juvene, disciplinam ejus non ferente, quasi nefandum scelus secum perpétrasset, a suis subditis in publico Conventu damnatus est tanquam laqueo et igne dignus, adeoque et sacra celebrare mysteria prohibitus est, quæ omnia, licet jam centenarius, æquissimo tulit animo. *PET. DAM.*, c. XLIX, *Vit.*

S. Theresia incredibilia passa est ab omni genere hominum etiam bonorum et valde spiritualium. Habebatur enim a multis pro illa a diabolo: ejus oratio et revelationes irridebantur: aliqui tanquam obsessam a dæmone exorcismis curare volebant: alii

eam ad tribunal Inquisitionis detulerunt, præter illas adversitates, quas passa est a propriis Superioribus in propriorum Monasteriorum fundatione. *Vit.*, lib. IV, c. xvii.

S. Petrus Martyr cum tres eum de celo virgines visitasset, accusatus, quod puellas in cellam admississet, in publico Conventu damnatus, in exilium est ablegatus ad remotum aliquod Monasterium, forti animo ferens tantam ignominiam. *Vit.* p. IV, *post.*

Marina virgo cum vestibus virilibus induta, et in virorum Monasterium recepta fuisset, ibidem accusata a muliere quapiam, quod eam imprægnasset, patientissime penam et infamiam exclusionis a Monasterio tulit, donec post mortem ejus innocentia detecta est. *SUR.*, febr.

Lyduvina a furente muliere convitiis primum et contumeliis proscissa, dein etiam fedissime consputa, non modo immota persistit, sed etiam munusculum clam ei submitit, dicens, illis se multum debere, qui ad viam mandatorum Dei currendam compellunt. Alias a quatuor militibus invasa in lecto, nudata, turpiter contractata, non modo indignata non est, sed etiam accusare eos volentes cohibuit, ne facerent. *DAURALT.*, c. vii, tit. xxv, p. III.

Constantinus M. licet reportarit in tot bellis et præliis diversos et gloriosos triumphos, D. Chrysostomus tamen majoris facit aliam quamdam per ipsum obtentam victoriam longe celebriorem, magisque gloriosam; nam in homilia quadam ad populum suum Antiochenum de præfato Imperatore ita scribit: Fertur Beat. Constantinus, effugie sua quandoque lapidata, multis ipsum instantibus, ad supplicium de auctoribus contumeliae summendum, et dicentibus, quod omnes ipsius faciem saxis convulnerant, manu faciem palpans, et leniter ridens dixisse: Ego vero nusquam vulnus in fronte factum video, sed sanum quidem caput, sana vero et facies tota. Illi vero reveriti, et confusi ab hoc iniquo destititè consilio, et hoc verbum hactenus caunt omnes, nec tantum temporis labefecit, aut hujus sapientie memoriam extinxit. Quis non sit hoc trophæus splendidus? Multas urbes ille condidit, et multos barbaros superavit, sed ne minimus illorum nihil, hoc autem verbum usque in præsentem diem canitur, et posterit nostris, et posteris illorum, omnes idipsum audient. S. CHRYS., hom. xx, ad *Popul.*

De Joanne Sanctio, supra citatus Rho sic scribit: Hominem, quem Avilæ disciplina lucris animarum maxime intentum reddiderat, quum, quod illi proprium erat, e lupanari ad patientiæ castra mulierculam eo transfugio servandam perduceret, obviam factus amator impurus, rabieque, quam libidinis asse clam esse scimus, percitus, convitiis oneratum in ipso foro luce palam colapho verberat. Sed stetit immota Sacerdoti patientia, quæ senio robustior humi posito genu, genam alteram verberanti obtulit. Nulla re magis frangitur ira, quam patientia; accidit, qui injuriam fecerat, Sanctio ad genua, et verissimis perfusus lacrymis, veniam, pacemque precatus; geminæ perturbationi, libidini, atque iræ, quarum utraque est impotentissima, ab una venerandi senis patientia sensit sibi factam esse medicinam. *RHO.*, l. VI, t. III, n. 17.

Quadam die Abbas Monasterii Fundensis contra venerabilem virum libertinum exarsit gravi iracundia, ita ut eum manibus cæderet. Et quia virgam, quæ eum ferire posset, minime invenit, comprehenso scabello faciem ei, ac caput tutidit, totumque illius vultum tumentem lividum reddidit. Qui vehementer cæsus ad stratum proprium tacitus recessit. Die vero altera erat pro utilitate Monasterii causa constituta. Expletis igitur hymnis Matutinalibus, Libertinus ad lectum Abbatis venit, orationem sibi humiliter petiit. Sciens vero ille, quantum a cunctis honoraretur, quantumque diligeretur, pro injuria, quam ei ingesserat, recedere eum a Monasterio velle putabat atque requisivit, dicens: Ubi vis ire? cui ille respondit: Monasterii constituta est causa, Pater, quam declinare nequeo, quia hesternò die me hodie iturum promisi, illic ire disposui. Tunc ille a fundo cordis considerans asperitatem et duritiam suam, humilitatem atque mansuetudinem Libertini, ex lecto prosiit, pedes Libertini tenuit, se peccasse, sequere reum esse testatus, qui tanto talique viro tam crudelem facere contumeliam præsumpsisset. At contra Libertinus sese in terram prosternens, ejusque pedibus provolutus suæ culpæ, non illius sævitia fuisse referebat, quod pertulerat. Sicque actum est, ut ad magnam mansuetudinem perduceretur Pater, et humilitas discipuli magistra fieret magistri. Cumque pro utilitate Monasterii ad constitutionem causæ egressus fuisset, multi viri

noti, ac nobiles, qui eum valde honorabant, vehementer admirati, solliciti requirebant, quidnam hoc esset, quod tam tumentem ac lividum haberet faciem. Quibus ille dicebat: Hesternò die sero, peccatis meis exigentibus, in scabello suppedaneo impeggi, atque hoc pertuli. Sicque vir sanctus servans in pectore honorem veritatis, et Magistri, nec Patris probebat vitium, nec falsitatis incurrebat peccatum. S. GREG., l. I, *Dial.*, c. II.

Cassianus de juvenis cujusdam patientia sic scribit: Post dies admodum paucos, majoris doctrinæ desiderio pertrahente, rursus ad Abbatis Pauli cœnobium summa spiritus alacritate perreximus: ubi licet plusquam ducentorum fratrum numerus moraretur, in honore tamen solemnitatis, quæ id temporis agebatur, infinita quoque de aliis cœnobis Monachorum turba confluerat. Nam prioris Abbatis, qui eidem cœnobio præfuerat, anniversaria depositio solemniter curabatur. Cujus conventus idcirco facimus mentionem, ut patientiam cujusdam fratris, quæ sub præsentia totius Congregationis hujus immobili ejus claruit lenitate breviter perstringamus. Nam licet alio ejus operis tentat intentio, ut scilicet Abbatis Joannis, qui derelicta eremo, illi se cœnobio summa humilitate subdiderat, proferamus eloquia, nequaquam tamen putamus absurdum, si absque ulla circuitione verborum, magna, ut credimus, studiosis virtutum quibusque edificatio conferatur.

In ingenti itaque atrio subdiali, illa multitudine Monachorum per duodenarium numerum distinctis orbibus consistente, cum quidam fratrum susceptionem ferculum paulo tardius intulisset, occasione istius tarditatis, prædictus Abbas Paulus, qui inter turbas ministrantium fratrum discurrerat, exerta manus palma eum sub omnium percussit intuitu, ita ut sonitus etiam adversorum vel longius consistentium auribus resultaret. Hoc autem ab eo factum est idcirco, ut cunctis, qui aderant, patientiam juvenis patefaceret, et omnes, qui interfuerunt tali spectaculo, modestiæ erudirentur exemplo. Quam maturo autem senior fecerit consilio, res probavit. Nam memorabilis patientiæ juvenis tanta id animi benignitate suscepit, ut non modo nullus fuerit ex ejus in ore sermo prolapsus, vel tenuissimum murmur tacita laborum agitatione signatum, sed ne ipsa quidem oris modestia, atque tranquil-